MARTINI SCHOOCKII
DE
CICONIIS
Tractatus.

Editio alterà, priori auctior & emendatior.



AMSTELÆDAMI,

Apud PETRUM van den BERGE, è regione turris Novi Templi, ſub ſigno montis Parnaſſi, 1661.

411
Biblioteca Nazionale Firenze 1872

Digitized by Google

Google

Caput Primum.

Occaſio ſcripti: de nominibus, quæ Ciconia fert, tum apud Latinos, Græcos, & Ebræos.

Quum de Ciconia, ave in regionibus noſtris notiſſima, ſed tamen hoſpita, inter cujuscunque ordinis viros ſæpe ſermo incidere ſoleat, non abs re nos facturos exiſtimamus, ſi poſt Conradum Gesnerum Germaniæ Plinium, & laborioſiſſimum ſacrorum horum ruſpatorem Ulyſſem Aldrovandum, ſpeciatim Gaſparem Heldelinum, (jam olim is præconem ciconiæ egit) ea, quæ alias de illa obſervavimus, publice propoſuerimus. Ut vero hoc agamus, à nomine incipimus:

Vocatur ergo avis hæc apud Latinos ciconia, circa cujus vocis Etymologiam hæc commenta-

tur Iſidorus lib.12. Orig. cap. 7. *Ciconia vocata à ſono, quo crepitant, quaſi cicania: quem ſonum oris potius eſſe conſtat, quam vocis, quia eum quatiente roſtro faciunt.* Ego potius deduxerim à *Ciconibus*, Thraciæ populis, ſecundum Herodotum, Melam, & Plinium; namque in Thraciæ, vicinarumque regionum montibus (ſit *Ciconum mons* memoratur á Propertio l.3. eleg.11.) ingens Ciconiarum copia comparet, uti obſervatum fuit á Bellonio, poſtea ad partes amplius vocando. Alias ciconia eſt ſannæ ſpecies. Perſ. Sat.1.

O Iane á tergo; quem nulla ciconia pinſit.

Ad quæ vetus Scholiaſtes: *Tria genera ſannarum: aut manu ſignificare ciconiam, aut oppoſito temporibus pollice, auriculas aſinas, aut linguam ſitientis canis.* Eſt & machinæ genus apud Columellam; alioſque. Gloſſ. *Ciconia* μηχανή. Omiſſis vero peregrinis hoc tempore notationibus; conſiderabimus ſolam ciconiam avem, quæ à Græcis πελαργὸς vocatur. Ambroſius lib.5. Hexaëm.

Digitized by Google

xaëm. cap. 16. *Retributio beneficiorum antipelargeſis nominatur. Pelargos enim ciconia dicitur.* Idem Gloſſ. *Ciconia*, πελαργός. Nomen hoc ei fuit inditum à colore; plumas enim habet partim albas, partim nigras; πέλον quippe nigrum eſt, unde πελιώματα; & ἀργὸν idem ſæpe quod λευκὸν eſt. Alias videtur à Græcis, aut potius ab Ægiptiis vocata eſſe κυκῦφα, quæ vox tantummodo occurrit apud Hor. Apollinem lib. 1. Hierogl. cap. 55. namque in eadem materia idem Horapollo, aut, uti placet doctiſſimo Hæſchelio, Paraphraſtes quidam illius Philippus, lib. 2. cap. 58. uſurpavit nomen πελαργοῦ. Ab Ebræis creditur vocari *Chaſidah*; quæ vox ſexies in Veteri Teſtamento occurrit, Levit. 11. v. 19. Deut. 14. v. 18. Job. 39. v. 16. Pſalm 104. v. 17. Jerem. 8. v. 7. Zachar. 5. v. 4. derivatur autem à radice *Cheſed*, quæ ſignificat benignitatem & miſericordiam; creditur enim beneficientiam & pietatem, analogice ſic dictam, exercere erga parentes ciconia:

uti Thalamudiſtis ipſis ad ſuffragium vocatis, in Lexico docet Buxtorfius. Nec tamen convenit circa eam interpretationem, aut inter hos ipſos, aut inter antiquos qua Græcos, qua Latinos Interpretes. *Levitici cap. und.* teſte P. Fagio in Annot. ad Paraphr. Chaldaicam V. Libr. Moſis, R. Salomon & R. David Kimhi *milvum album* reddiderunt; nomen illud ferentem, quod gratiam & benignitatem exerceat inter ſodales ſuos, prædæ partem iis diſtribuendo. Aquila, Theodotion, (teſte Druſio in Fragm. Vet. Interpretum) & LXX. Interpretes ἐρῳδιὸν habent, unde & Vulgata verſio *Herodionem* retinuit. *Deuter cap. decimo quarto*, Aquila & Theodotion iterum habent ἐρῳδιὸν, LXX. Senes πελεκᾶνα, & Chaldæus Paraphraſtes *Charadiita*, quod Druſius vertit λευκερῳδιὸν. Job, cap. 30. LXX. Interpretes retinuerunt vocem originalem: & ut teſtis Olympiodorus, Symmachus legit *cygnum*, Aquila *accipitrem*, alii vero ſubſtituerunt, *peculiarem aliquam avem, quæ in*

Meſo-

Meſopotamia reperitur. Pſal. 104. Hieronymus cum LXX. habet *Herodium*, Symmachus, & Theodotion ἰκτῖνον, ſive *vulturem*. Auguſtinus & Arnobius ἐρῳδιὸν *fulicam* vertunt. *Ierem. oct.* Hieronymus habet *ciconiam*. Symmachus, LXX, & Theodotion vocem Ebræam retinuerunt; Aquila vero *herodium* reddit. *Sachar. quinto.* R. Salomon *vulturem* habet, Aquila, Symmachus, & Theodotion ἐρῳδιὸν, ſoli LXX. ἔποπα ſive *upupam* tranſtulerunt. Aliquis, conferendo inter ſe varias has explicationes, cogitare poſſet, incertum eſſe, ad quam avem Ebræa vox transferri debeat, & proinde, quemadmodum ad Levitici caput undecimum à prudentioribus quibuſdam Interpretibus factum fuit, circa alias ignotas aves, præſtare retinere vocem Ebræam, quam interpretatione incerta veritatem obſcurare. Cæterum, quanquam certum, nomen hoc pietatem notans, pluribus avibus attribui poſ-ſit; (notatu digna ſunt Ariſtotelis verba lib. 9. Hiſt. Anim. cap. 14.

 Cico-

Digitized by Google

Ciconias genitorum ſenectutem invicem educare invulgatum eſt. Sed ſunt, qui meropes (alii legunt ἀερόποδες, eamque lectionem præter Suidam approbat Michaël Apoſtolius cent. 15. Prov. 25.) *quoque idem facere confirment, viceemque reddi, &c.*) itemque per antiphraſin, *milvis*, aliiſque avibus rapacibus deferri, convenientiſſime tamen ciconiæ tribuitur, non ſolum fidem facientibus ipſis Ebræis magiſtris, ſed ſuadentibus iis, quæ habet Jeremias cap. 8. uti infra pluribus hæc expendemus. Quoniam vero communiter nomen *Chaſidah* redditum eſt à pluribus per *Herodionem*, expendendum cui avi proprie nomen hoc conveniat. Olympiodorus ad caput Jobi. 39. nullo modo ciconiam cum *herodio* confundi poſſe exiſtimat. Hieronymus ad Pſalm 104. dicit: *Herodius major eſt omnibus volatilibus, qui aquilam vincit, & comedit*. Auguſt. Serm. 3. in eundem Pſal. ut exiſtimat eſſe fulicam, ita hæc addit: *Fulica, ſicut omnes novimus, marina avis eſt, vel in mari*

mari ſt. Auguſtino favet antiquum Gloſſarium: ἐρωδιὸς, *Erodius, Fulica.* Theodorus Gaza vir doctiſſimus *ardeolam* reddidit. Alias Hieronymus ad Zach. cap. 5. triplex genus Herodiorum agnoſcit, quando ſic ſcribit: *Erodiorum vero, hi qui de volucrum ſcripſere naturis; tria genera autumant: unum album, aliud ſtellatum, tertium nigrum; quod & ſæviſſimum eſt, & ſanguinarium, & pugnans, ad coitum impatiens, ita ut ex oculis eorum erumpat cruor.* Album hoc genus, ciconias eſſe exiſtimaverim, ſiquidem Suidas teſtis eſt, Herodium *aut eſſe illam avem, quæ ciconia vocatur, aut ſaltem aliquam ei ſimilem.* Et tantum de avis hujus nominibus, de vernaculis, ut & de variis illius Epithetis, infra incidenter agi poterit.

Digitized by Google

Caput. II.

De locis, quæ adit Ciconia, & de tempore, quo ad nos accedere ſolent.

UT avis hæc propius agnoſci queat, initio notandum, eam non tantum peregrinam cenſeri in noſtris regionibus, ſed & reliquis partibus Europæi orbis. Late Plinius lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 23. Inde *peregrinam volucrem* eam vocavit cultiſſimus ſcriptor Phædrus lib. 1. fab. 36. & Publius Syrus apud Petron. Satyr. *Peregrinam, hoſpitam avem. Advenam avem*, Varro lib. 3. de R. R. cap. 5. Nec tamen omnes regiones hoſpes hic addit, ſed certas ſolum. Plin. lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 29. *Tranſpadana Italia juxta Alpes, Larium lacum appellant, amœnum arbuſto agrum,* (ita legendum) *ad quem ciconiæ non tranſmeant.* Sic & obſervatum eſt in Anglia, multiſque Galliæ Provinciis ciconias non conſpici. Nec tamen cum vulgo exiſtimandum in regnis, & imperiis Monarchicis eas non ſtabulari. cum

eum & in Hiſpania & Dania frequentes ſint, & in Galliæ partibus ipſi regno parentibus quotannis variis locis videntur. Nec hodie in Angliam, exuto nuper Monarchico regimine luxuriantem, & quaſi Reip. Ariſtocraticæ imaginem exhibentem, tranſmigraverint. Sub primum vero ver ad nos ciconiæ accedere ſolent. Unde Plin. lib. 10. cap. 23. eas vocat *æſtatis advenas.* Ambroſius lib. 5. Hexamer. cap. 14. *Ciconiæ reditus vexillum veris attollit.* Caſſiodorus lib. 2. ep. 14. *Ciconia redeuntis anni jugiter nunciatrix, ejiciens triſtitiam hyemis, lætitiam verni temperis introducens.* & de eadem Publ. Sy[illegible] apud Petron. in Satyr.

[illegible] exul hiemis, titulus tepidi temporis.

[illegible]ter quoque Sidonius Apoll. [illegible] p. 14. *Deſtinas illuc uſque ad [illegible] hirundineum, vel ciconinum.* [illegible] vatum autem eſt jam olim, aves [illegible] cedere fere circa VIII. Kal. Martias. Adeo diligenter tempus ſuum obſervant! Hinc Deus apud Jeremiam

Prophetam cap.8. v.7. *Etiam ciconia in cœlo novit ſtata tempora ſua, & turtur, gruſque, & hirundo obſervant tempus adventus ſui.* Certo autem à multis, in his quoque provinciis, imo in hac ipſa urbe Groningana, obſervatum eſt, ut plurimum maſculum aliquot diebus ante, prævertere fœminæ adventum, eique quaſi locum præparare; qua de re haut abs re eſt audire Gaſparem Heldelinum: *Ciconia*, inquit, *mas verno adventu conjugem ſuam ad ſummum decem dies antevertit. Tum nido, ſi forte violatum invenerit, reparato, conjugem ſollicitus exſpectat, ea alias prius, alias decima demum nocte adventat. Hujus ille adventui m[illegible]ia-tulatur, & alis applaudit. T[illegible]em nido etiam accepit, Dii boni, [illegible]al-ciſſima ſalutatio? quanta ob ſ[illegible]d-ventum gratulatio? quos applau[illegible]a? complexus? quam mellita cernas[illegible]ila? Atque interim lenes quoque ſuſur[illegible] qui-dam audiuntur.*

Caput. III.

Ciconiæ certo quoque tempore diſcedunt: dubium tamen quo. Variorum ſententiæ expenduntur, propriaque authoris conjectura proponitur.

NEc minus certo die diſcedunt ciconiæ. Plin. loco dicto: *Notatum poſt Idus Auguſtas non temere viſas.* Quo abeant, & ubi poſtea compareant, vix liquet. Solus Bellonius in Obſervat. Exoticis, lib. 2. cap. 30. quibus iter ſuum expoſuit, præ aliis hic quid notaſſe videtur. Siquidem ſic ſcribit: *Cum circa Abydum eſſem vigeſimo quarto die Auguſti, ingentem ciconiarum vim conſpexi, quæ ad tria vel quatuor millia accedere videbatur. Volabant illæ à Ruſſia & Tartaria, & Helleſpontum agmine decuſſato tranſverſum trajiciebant. Et cum ſupra Tenedum inſulam eſſent, longo per anfractus tractu ſe convertebant, donec in circulum omnes colligerentur: inde priuſquam longius à faucibus Propontidis perge-*

pergerent, in minores aliquot turmas ſupra viginti ſe diſtribuebant; & ſe in vicem verſus meridiem ſequebantur. Cur vero omnia circa locum, in quem hoc avium genus commigrat, incerta ſint, docet diſtincte Plinius, loco ſæpius laudato *ita loquens*: Ciconiæ quonam de loco veniant, aut quo ſe referant, incompertum adhuc eſt. E longinquo venire non dubium, eodem quo grues modo: &c. Abituræ congregantur in loco certo, comitatæque ſic, ut nulla ſui generis relinquatur, niſi captiva & ſerva, ceu lege prædicta die recedunt. Nemo videt agmen diſcedentium, cum diſceſſurum appareat: nec venire, ſed veniſſe cernimus; utrumque nocturnis fit temporibus, & quanquam ultra, citrave pervolent, nunquam tamen adveniſſe uſquam, niſi nocturno tempore æſtimantur. *Hæc ille.* Multorum quidem eſt opinio, ex Africa eas advenire, in eamque redire. quod quanquam non invitus dederim, (ut enim poſt Belonium, Proſper Alpinus, & alii obſervarunt,
ali-

aliquot hebdomadis poſtquam ex regionibus his receſſerunt, in Ægypto adhuc apparent, quique in Africam abeunt nautæ, circa littus regionis illius, uti ex Itinerariis conſtat, agmina earum, volando feſſarum, ſæpe obvia habuerunt) in quo ſtatu tamen ibi vivant, non ſine ratione quæritur. Plurimi opinantur, illas æque in iis oris ovis excludendis, & pullis educendis vacare; alii autem inſtar reliquarum avium, hiberno tempore latentium, ſive in petris, ſive in paludibus occultari; quæ poſterior ſententia, omnibus quam diligenter excuſſis, uti nobis placet, ita rationibus prægnantibus quoque confirmanda venit. I. Pro ea laudamus ipſam Scripturam, Deum ſcilicet falli neſcium apud Jeremiam Prophetam, in loco jam ante laudato cap. 8. ℣. 7. ubi quando ſic legitur; *Etiam ciconia in cœlo novit ſtata tempora ſua, & turtur, gruſque, hirundo, obſervant tempus adventus ſui: at populus meus non noverunt jus Iehovæ*; volumus ante omnia contra multos

multos Novatores, & alios Scripturæ *Lucifugas*, ut Tertullianus loqui amat, præſupponi, Spiritum Sanctum, authorem omnis veritatis, nunquam aut à vero aberrare, aut loqui de rebus Phyſicis quando etiam de iis incidenter agit, ex ſententia errantis vulgi. Quibus præmiſſis, notamus quod hoc loco dicatur de ciconia, quod agnoſcat *ſtata ſua tempora*; quòd convenienter minus diceretur, ſi ſecundum tempora de loco in locum migraret; tum enim potius dicendum eſſet, quod cognoſcat ſtatum ſuum locum. Scio quidem Hieronymum in Comment. ad eum locum hæc habere: *Quod etiam parvæ aves ſua norint tempora: & ſciant quando ad calida feſtinantes loca, rigorem hyemis debeant declinare: & rurſus veris principio ad ſuas venire ſedes.* Sed nihil hoc nobis officere poteſt, cum ipſæ illæ parvæ aves hiberno tempore latitent, ſive in paludibus, ſive in arborum truncis: quod non Plinii lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 24. figmentum eſt, ſed plurimis

rimis per experientiam exploratiſſimum, ſicut alias fuſius probabimus; ut fruſtra ſit vir quis doctiſſimus, quando exiſtimat, vulgi fabulis nimium quam tribuiſſe Claudianum, cum lib. I. in Eutrop. ſic caneret;

Vel, qualis gelidis pluma labente pruinis,
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.

II. Cum in præſenti loco Jeremiæ, ciconia conjungatur cum milvo, turture, & hirundine, certum eſt eam eodem modo temporis ſui habere rationem, atque tres illæ avium ſpecies. Sed omnes illæ hiberno tempore latitant. De hirundinibus jam dictum fuit. De milvis teſtis eſt Bellonius lib. 2. de Avib. cap. 26. ſæpiuſque inventi ſunt in cavernis quercuum, carioſo pulvere corpus ſuum foventes. De turturibus quoque certiſſimum eſt. III. Si ciconia hiberno tempore, ſive in Africa, ſive prope Pontum Euxinum viveret, etiam per totam hyemem in iis oris, aut ſaltem vicinis con-

conſpici deberet. Sed æque Afri, Ægyptii, & Ponti accolæ ignorant, quonam abeat, poſtquam per breve tempus magna frequentia ibi comparuit. Probabili admodum argumento, alicubi eam tempore illo deliteſcere. IV. Hodie omnes Africæ, & vicinarum regionum anguli luſtrati atque excuſſi ſunt; nullus unquam autem inventus fuit, qui dixerit ſe eo tempore, quo à nobis abſunt, ordinario in iis ciconias conſpexiſſe. Nautæ, aliique, viderunt quidem quando à nobis receſſerunt, magna frequentia eas ibi oberrare; cæterum paulo poſt evanuerunt, nec in proximis locis ea frequentia occurrit. V. Campofulgoſus ſcriptor minime vanus lib. 1. Memorab. teſtatur in Lotharingia anno 1447. conplures ciconias, velut extinctas à piſcatoribus reti in ſiccum tractas fuiſſe, eaſque ſimul junctas mutuo, ſimul roſtra ano inſerta habuiſſe, calefactaſque revixiſſe in thermis. VI. Aſſertioni huic ſubſcribit per omnia Ariſtoteles lib. 8. Hiſt. Animal. cap.

Digitized by Google

cap. 16. ubi ita per interpretem loquitur: *Nam & ciconia latet, & merula, & turtur, & alauda. De turture quidem maxime omnium conſtat: nemo enim prope dixerim, vidiſſe per hyemem uſpiam turturem dicitur.* Veritati huic haut quaquam adverſatur, quod alicubi, in Belgio quoque, ciconiæ ab aliis deſertæ, aut ad volandum inhabiles redditæ, aliquandiu poſt aliarum diſceſſum ſupervixerint. Præterquam enim quod per experientiam conſtat, ut plurimum derelictas haſce, ſub initium aſperioris frigoris extinctas fuiſſe: amplius dici poteſt eam indolem eſſe avium hiberno tempore latitantium, ut ratione certorum individuorum, debitis fomentis identidem recreatorum, perennare atque ſupereſſe queant. Patet hoc non ſolum in turdis, variiſque canoris aviculis, hiberno tempore in cavea loco calido etiam cantui vacantibus; verum in palumbis etiam, de quibus Philoſophus, loco modo laudato, ita diſtincte: *Palumborum aliqui latent, aliqui non latent.*

Illi

Digitized by Google

Illi ſcil. extra latibula degunt, quibus ſufficiens caloris fomentum obtingit. Si quærat quiſpiam, ubinam ciconiæ latitent, reſpondebo ei, vix quidem liquere, cæterum valde probabile eſſe, eas in variis terræ receſſibus, maxime Africæ occultari. Præterea, quod apud nos in foris ſæpe piſcariis media Bruma, ciconiæ à reliqua quaſi agmine deſertæ, inveniantur; imputandum eſt alimento, quod datur. Quo cum aliæ ciconiæ & apud nos deſtituantur, & alibi locorum; latitare ex generali naturæ ſuæ regula coguntur. A nobis ubi diſceſſerunt aliquandiu quidem morari videntur in Ægypto, (ſi credere recentioribus quibuſdam licet) non tamen per hiemem ibi perdurant, ſed forte menſe poſt quam acceſſerint: accedunt circa menſem Septembrem & ante finitum Octobrem avolant. Quum enim, Sole Libram ingrediente, Ægyptus Nili aquis liberari conſueverit, Ciconiæ in terræ nimium quam fæcundæ ſuperficie pabulum con-

conveniens offendunt, ſerpentes, ſcil. vanas, &c. Sed hæc ipſa animalia (referentibus iis, qui diu in terra Ægypto vixerunt) quod ingruentis ibi hiemis, æque atque apud nos ſint impatientia, latibula terræ ſubeunt: atque ſimul tum emigrant Ciconiæ, quæ ob pabuli defectum, poſtea ad definitum ſibi à Deo tempus latitare compelluntur. Atque ita (ut confido) ciconias latere probatum eſt, cui nec hæc adverſatur, quod in certo quo loco, quando migraturæ ſunt, congregentur. Plinius lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 23. *Abitura congregantur in certo loco, comitataque ſic, ut nulla ſui generis relinquatur, niſi captiva & ſerva, ſeu lege, prædicta die recedunt.* Similiter quando advolant, in uno loco congregantur. Signanter, Plinii ſimius Solinus Polyhiſt. cap. 40. *Pythonos Come in Aſia locus eſt, campis patentibus, ubi primo adventus ſui tempore ciconiæ advolant, & eam, quæ ultima advenerit, lancinant univerſæ.* Paulo aliter Plinius loco laudato, ex quo hæc Solini

Solini deſumpta ſunt: *Pythonos comen vocant in Aſia patentibus campis, ubi congregatæ inter ſe commurmurant. Eam denique quæ noviſſime advenit lacerant, atque ita abeunt.* An vero quando avolant ciconiæ, in agmine ſuo habeant cornices, à quibus non ſolùm deducantur, ſed etiam contra inimicas aves defendantur, minus quidem exploratum, cæterum ex re eſt expendere ea, quæ ſolus Ambroſius lib. 5. Hexaem. cap. 16. de hoc ſatellitio perhibuit. *Ita ergo ibi:* Ciconias ferunt collecto proficiſci agmine, ſi quo pergendum putant, & ſimul pleriſque circa orientem locis invehi, & quaſi teſſera militari pariter omnes moveri. Exercitum credas cum ſignis ſuis pergere, ſic omnes viandi comitandique & præeundi ordinem ſervant. Cornices autem deducunt eas ac dirigunt, & velut quibuſdam turmis ſtipatricibus perſequuntur, adeo ut adjumenta quædam bellantibus adverſus inimicas aves conferre credantur, & propriis periculis bella aliena ſuſcipere.

ſcipere. Cujus rei indicium eſt, quia nullæ per intervallum aliquod temporis reſidere in illis locis reperiuntur. Et quia cum vulneribus revertentes, manifeſta quadam ſanguinis voce cæteriſque loquuntur indiciis, gravium ſe certaminum ſubiiſſe conflictum. Quis igitur illis pœnam deſertionis indixit? Quis derelictæ militiæ ſupplicia præſcripſit formidoloſa, ut nulla proſequendis hoſpitalibus turmis ſeſe ſubtrahere nitantur, ſed certatim omnes deductionis munere officioque fungantur? Diſcant homines hoſpitalia ſervare jura, & ex avibus cognoſcant, quid religionis hoſpitibus ſit deferendum, quod obſequium deputandum, quibus cornices etiam pericula ſua negare non ſoleant. His igitur nos januas claudimus, quibus aves etiam animas ſuas conferunt? & quos illæ conſortio proſequuntur diſcriminis, eos tecti prohibemus hoſpitio? & quorum illæ bella ſuſpiciunt, his nos bella frequenter inferimus. *Hactenus Ambroſius.*

CA-

Caput. IV.

Methodi ductus notantur, itemque agitur de lineamentis corporis Ciconiæ. De ſono quem edit Ciconia, modoque, quo eum format.

QUo diſtinctius dein ciconia cognoſci queat, ſex ſubſequentia capita diſtincte conſideratum ibimus: *Lineamenta corporis*, *Paſtum*, *Partum*, *Mores analogice* & *improprie ſic dictos*, *uſum diæteticum ac medicum*, & *denique uſum Auguralem.* Quod ad lineamenta corporis, ea non omnia quidem hic conſiderabimus, ſed potiſſimum illa, quæ ciconiæ ſunt peculiaria. I. Notamus inſignem illam proportionem, quæ intercedit inter longiora illius crura, & longius collum: quod notari pariter in camelo debet. Cum enim muta animalia manibus careant, quibus apprehendant cibum; non poſſent illum de ſolo colligere, niſi cruribus longioribus, pariter collum proportionatum reſponderet

deret. Sapientiſſimus autem Deus, ciconiæ, ardeæ, Ibi, ſimilibuſque avibus longiora crura conceſſit, quod ex locis uvidis & paludoſis quæ veſtigii minus patientia ſunt, victum ſuum colligere ſoleant. II. Roſtrum eidem contigit longius, eundem in finem, quo ſcil. aquæ illud inſerendo, conveniens & proportionatum pabulum educere poſſet. Dicit quidem Plinius lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 23. *Sunt qui ciconiis non ineſſe linguas confirment.* unde Solinus l. d. de iiſdem: *Aves iſtas ferunt linguam non habere.* Sed hoc falſum. Nam quamquam lingua per totum roſtrum non eſt extenſa, manifeſto tamen ad extremum illius occurrit. Quemadmodum in pullo nido ejecto aliquando notavimus; unde non tam Solinum, quam eos, ex quorum mente loquitur, jure ſummo arguit incomparabilis Salmaſius in Exerc. Et tamen verum eſt, quod Solinus proxime dicit, *Ferunt ſonum, quo crepitant, oris potius, quam vocis eſſe.* Inde Ovid. lib. 4. Metam, *crepitante ciconia*

Digitized by Google

ciconia roſtro. Quum talem autem ſonum edit ciconia, proprie *glotorare* dicitur. Auctor Philomelæ, qui creditur vulgo Ovidius eſſe:

Glotorat immenſo de turre ciconia roſtro.

Belgis hoc eſt propria voce: *Kleppenteren.* Ipſa ciconia hinc eleganter à Publio Syro apud Petronium *crotaliſtria* vocatur, pro quo male vulgo legitur, *choraliſtria.*

Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria.

Erat autem crotalum inſtrumentum Muſicum Ægyptiorum, quod Græci Grammatici vocant σχιζόμενον κάλαμον, nam fiebat ex arundine per medium fiſſa, cujus duæ partes ſic movebantur, ut ex colliſione ſonarent. Inde Propert. lib. 4. el. 9.

Nile, tuus tibicen erat crotaliſtria Phyllis.

Ut recte eo loco doctiſſimus Turnebus legit. Ad hunc ſonum ciconiæ referri

referri debet notus ille Juvenalis verſus ex Sat. 1.

Quaque ſalutato crepitat Concordia nido.

Præterquam enim quod Jacobus Suſius teſte Ad. Junio, pro *Concordia* in quibuſdam MSS. exemplaribus invenit *Ciconia*; amplius admiſſa vulgari lectione, non neceſſum eſt cum politiſſimo Politiano cap. 67. Miſcel. per *Concordiam* aut intelligere *cornicem*, aut templum *Concordiæ*, uti aliis placet, in quo nidum ſuum ciconia habuerit; ſed potius Metonymice *ipſam ciconiam*: præeunte Scriptore docto Ioanne Saresburienſi lib. 1. Policr. cap. 13. *Ciconia*, inquit, *quoniam avis concordiæ eſt; aut concordiam invenit, aut concordiam facit.* Notatu vero dignum eſt, quod ciconia, quando glotorat, primo ore patulo aëra per longum collum admittat, dein caput inclinet, levique oris non admodum duri & colli agitatione, ſonum

B illum

illum edat: aëre enim qui longo illo collo emittitur, ad roſtrum, alliſo, varieque fracto, haut aliter ſonus ille formatur, atque organa pneumatica, poſtquam inflata ſunt, leviori quoque plectro aëre fracto, acutum ſonant. Progrediendo III. circa lineamenta ciconiæ, iterum notari debent ejus crura, quæ gracilia admodum ſunt, unde & à Publico Syro in verſibus modo adductis *gracilipes* vocatur. Atque ita oportuit, ne inter volandum crura mole ſua quas moleſtias exhiberent. Amplius dum volat, crura illa quam proxime abdomini admovet, ut fere eidem cohærere videantur. Crura hęc ciconina apud Belgas in proverbium abierunt. Nam *Oyevaers beenen*, crura longa & gracilia vocantur, quæ jam olim dicteriis obnoxia fuiſſe conſtat ex Sueton. & Seneca, pluribuſque notatum fuit à Maximo Caſaubono ad Sueton. Calig. tales à Latinis proprie vocantur

tur (ut hoc in tranſcurſu notemus) *perſiles*. Gloſſarium , *Perſilis* , μακροσκελής Græci talbius Perdicum crura tribuere ſolent. Cave ſis vero cũ aliquibus intelligas avem perdicem , reſpicitur enim caupo, qui in terra Græcia Perdicis nomẽ ferebat: quemadmodum notatum eſt ab Ariſtophanis Scholiaſte ad Aves ipſius, quem in Pindarum quoque, eaquæ hodie habemus Scholia, ſcripſiſſe, alias cum bono Deo fuſius probabimus. Sed hæc obiter. IV. Renibus quam proxime teſtes conjuncti ſunt, quam ob cauſſam cito & citra difficultatem cum compare ſua non tantum ciconia congreditur , ſed ex parte quoque, uti poſtea patebit, ſalacitatis argui poteſt. V. Per renes illius medios, perreptant varii canaliculi oblique poſiti , latiores quam in aliis animalibus, per quos excernitur candidum excrementum urinæ analogum. Atque hinc patet, cur excrementa ejus candida & li-

quida inſtar aquæ ſint ; quod cum reliquis avibus ipſi commune eſt , quæ cum non mingant , & tamen bibant, humidum illud aqueum partim plumis alendis deſtinatur , partim excrementa quoque tenuiora & aquea reddit. Notandum autem eſt , copioſe aquam haurire ciconiam unde non poteſt non quoque majori quantitate excrementa excernere. VII. Teſtes quoque ciconiæ, ut & reliquis avibus , intus in corpore poſiti ſunt , atque ad ſpinam formati , ne qualicunque mole , ſi extra poſiti forent , inter volandum impedimenti quid adferrent. VI. Ciconia, uti & aliæ multæ aves habet appendices , ſicut notavit quoque Ariſtoteles lib. 2. Hiſt. Anim. cap. ult. Quod VIII. ad inteſtina ciconiæ , ea minus anfractuoſa & latiora notata à multis fuerunt , quæ ratio eſt quod anguillas, ſerpentes , ranas & ſimilia ſæpe integra excernat, & ejiciat. IX. Alæ

ipſius

ipſius pro proportione corporis latæ & amplæ ſunt. Inde Iobi cap. 39. v. 14. inter admiranda Dei opera refertur *penna ciconiæ*: & apud Zachariam cap. 5. v. 4. duabus illis mulieribus, quas in viſione Propheta videbat, tribuuntur alæ *ſimiles alis ciconiæ*. X. In ipſa autem hac ciconiæ ala, ut & ala plerarumque aliarum avium notari poſſunt octo oſſa. Tria majora, ſive longiora per diarthroſin conjuncta, & quinque minora per ſynarthroſin cohærentia.

Caput V.

De volatu in Genere, ſpeciatim de volatu Ciconiæ: Item de plumis ejuſdem.

Non abs re forte erit, hic pauca de volatu ciconiæ adjicere, præmiſſis quibuſdam de volatu in genere; *Eſt autem volatus localis volatilium motus, qui per aërem fit, & ab alis*

 perfici-

Digitized by Google

Illi ſcil. extra latibula degunt, quibus ſufficiens caloris fomentum obtingit. Si quærat quiſpiam, ubinam ciconiæ latitent, reſpondebo ei, vix quidem liquere, cæterum valde probabile eſſe, eas in variis terræ receſſibus, maxime Africæ occultari. Præterea, quod apud nos in foris ſæpe piſcariis media Bruma, ciconiæ à reliqua quaſi agmine deſertæ, inveniantur; imputandum eſt alimento, quod datur. Quo cum aliæ ciconiæ & apud nos deſtituantur, & alibi locorum; latitare ex generali naturæ ſuæ regula coguntur. A nobis ubi diſceſſerunt aliquandiu quidem morari videntur in Ægypto, (ſi credere recentioribus quibuſdam licet) non tamen per hiemem ibi perdurant, ſed forte menſe poſt quam acceſſerint: accedunt circa menſem Septembrem & ante finitum Octobrem avolant. Quum enim, Sole Libram ingrediente, Ægyptus Nili aquis liberari conſueverit, Ciconiæ in terræ nimium quam fæcundæ ſuperficie pabulum con-

conveniens offendunt, ſerpentes,ſcil. vanas, &c. Sed hæc ipſa animalia (referentibus iis, qui diu in terra Ægypto vixerunt) quod ingruentis ibi hiemis, æque atque apud nos ſint impatientia, latibula terræ ſubeunt: atque ſimul tum emigrant Ciconiæ, quæ ob pabuli defectum, poſtea ad definitum ſibi à Deo tempus latitare compelluntur. Atque ita (ut confido) ciconias latere probatum eſt, cui nec hæc adverſatur, quod in certo quo loco, quando migraturæ ſunt, congregentur. Plinius lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 23. *Abitura congregantur in certo loco, comitataque ſic, ut nulla ſui generis relinquatur, niſi captiva & ſerva, ſeu lege, prædicta die recedunt.* Similiter quando advolant, in uno loco congregantur. Signanter, Plinii ſimius Solinus Polyhiſt. cap. 40. *Pythonos Come in Aſia locus eſt, campis patentibus, ubi primo adventus ſui tempore ciconiæ advolant, & eam, quæ ultima advenerit, lancinant univerſa.* Paulo aliter Plinius loco laudato, ex quo hæc Solini

Solini deſumpta ſunt: *Pythonos comen vocant in Aſia patentibus campis, ubi congregatæ inter ſe commurmurant. Eam denique quæ noviſſime advenit lacerant, atque ita abeunt.* An vero quando avolant ciconiæ, in agmine ſuo habeant cornices, à quibus non ſolum deducantur, ſed etiam contra inimicas aves defendantur, minus quidem exploratum, cæterum ex re eſt expendere ea, quæ ſolus Ambroſius lib. 5. Hexaem. cap. 16. de hoc ſatellitio perhibuit. *Ita ergo ibi:* Ciconias ferunt collecto proficiſci agmine, ſi quo pergendum putant, & ſimul pleriſque circa orientem locis invehi, & quaſi teſſera militari pariter omnes moveri. Exercitum credas cum ſignis ſuis pergere, ſic omnes viandi comitandique & præeundi ordinem ſervant. Cornices autem deducunt eas ac dirigunt, & velut quibuſdam turmis ſtipatricibus perſequuntur, adeo ut adjumenta quædam bellantibus adverſus inimicas aves conferre credantur, & propriis periculis bella aliena ſuſcipere.

Digitized by Google

ſcipere. Cujus rei indicium eſt, quia nullæ per intervallum aliquod temporis reſidere in illis locis reperiuntur. Et quia cum vulneribus revertentes, manifeſta quadam ſanguinis voce cæteriſque loquuntur indiciis, gravium ſe certaminum ſubiiſſe conflictum. Quis igitur illis pœnam deſertionis indixit? Quis derelictæ militiæ ſupplicia præſcripſit formidoloſa, ut nulla proſequendis hoſpitalibus turmis ſeſe ſubtrahere nitantur, ſed certatim omnes deductionis munere officioque fungantur? Diſcant homines hoſpitalia ſervare jura, & ex avibus cognoſcant, quid religionis hoſpitibus ſit deferendum, quod obſequium deputandum, quibus cornices etiam pericula ſua negare non ſoleant. His igitur nos januas claudimus, quibus aves etiam animas ſuas conſerunt? & quos illæ conſortio proſequuntur diſcriminis, eos tecti prohibemus hoſpitio? & quorum illæ bella ſuſpiciunt, his nos bella frequenter inferimus. *Hactenus Ambroſius.*

Caput. IV.

Methodi ductus notantur, itemque agitur de lineamentis corporis Ciconini. De ſono quem edit Ciconia, modoque, quo eum format.

QUo diſtinctius dein ciconia cognoſci queat, ſex ſubſequentia capita diſtincte conſideratum ibimus: *Lineamenta corporis, Paſtum, Partum, Mores analogice & improprie ſic dictos, uſum diæteticum ac medicum, & denique uſum Anguralem.* Quod ad lineamenta corporis, ea non omnia quidem hic conſiderabimus, ſed potiſſimum illa, quæ ciconiæ ſunt peculiaria. I. Notamus inſignem illam proportionem, quæ intercedit inter longiora illius crura, & longius collum: quod notari pariter in camelo debet. Cum enim muta animalia manibus careant, quibus apprehendant cibum; non poſſent illum de ſolo colligere, niſi cruribus longioribus, pariter collum proportionatum reſponderet.

deret. Sapientiſſimus autem Deus, ciconiæ, ardeæ, Ibi, ſimilibuſque avibus longiora crura conceſſit, quod ex locis uvidis & paludoſis quæ veſtigii minus patientia ſunt, victum ſuum colligere ſoleant. II. Roſtrum eidem contigit longius, eundem in finem, quo ſcil. aquæ illud inſerendo, conveniens & proportionatum pabulum educere poſſet. Dicit quidem Plinius lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 23. *Sunt qui ciconiis non ineſſe linguas confirment.* unde Solinus l. d. de iiſdem: *Aves iſtas ferunt linguam non habere.* Sed ho falſum. Nam quamquam lingua per totum roſtrum non eſt extenſa, manifeſto tamen ad extremum illius occurrit. Quemadmodum in pullo nido ejecto aliquando notavimus; unde non tam Solinum, quam eos, ex quorum mente loquitur, jure ſummo arguit incomparabilis Salmaſius in Exerc. Et tamen verum eſt, quod Solinus proxime dicit, *Ferunt ſonum, quo crepitant, oris potius, quam vocis eſſe.* Inde Ovid. lib. 4. Metam, *crepitante*

ciconia

Digitized by Google

ciconia roſtro. Quum talem autem ſonum edit ciconia, proprie *glotorare* dicitur. Auctor Philomelæ, qui creditur vulgo Ovidius eſſe:

Glotorat immenſo de turre ciconia
roſtro.

Belgis hoc eſt propria voce: *Kleppenteren*. Ipſa ciconia hinc eleganter à Publio Syro apud Petronium *crotaliſtria* vocatur, pro quo male vulgo legitur, *choraliſtria*.

Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria.

Erat autem crotalum inſtrumentum Muſicum Ægyptiorum, quod Græci Grammatici vocant σχιζόμενον κάλαμον, nam fiebat ex arundine per medium fiſſa, cujus duæ partes ſic movebantur, ut ex colliſione ſonarent. Inde Propert. lib. 4. el. 9.

Nile, tuus tibicen erat crotaliſtria
Phyllis.

Ut recte eo loco doctiſſimus Turnebus legit. Ad hunc ſonum ciconiæ

referri

referri debet notus ille Juvenalis verſus ex Sat. 1.

Quaque ſalutato crepitat Concordia nido.

Præterquam enim quod Jacobus Suſius teſte Ad. Junio, pro *Concordia* in quibuſdam MSS. exemplaribus invenit *Ciconia*; amplius admiſſa vulgari lectione, non neceſſum eſt cum politiſſimo Politiano cap. 67. Miſcel. per *Concordiam* aut intelligere *cornicem*, aut templum *Concordiæ*, uti aliis placet, in quo nidum ſuum ciconia habuerit; ſed potius Metonymice *ipſam ciconiam*: præeunte Scriptore docto Ioanne Saresburienſi lib. 1. Policr. cap. 13. *Ciconia*, inquit, *quoniam avis concordiæ eſt; aut concordiam invenit, aut concordiam facit.* Notatu vero dignum eſt, quod ciconia, quando glotorat, primo ore patulo aëra per longum collum admittat, dein caput inclinet, levique oris non admodum duri & colli agitatione, ſonum

illum edat: aëre enim qui longo illo collo emittitur, ad roſtrum, alliſo, varieque fracto, haut aliter ſonus ille formatur, atque organa pneumatica, poſtquam inflata ſunt, leviori quoque plectro aëre fracto, acutum ſonant. Progrediendo III. circa lineamenta ciconiæ, iterum notari debent ejus crura, quæ gracilia admodum ſunt, unde & à Publico Syro in verſibus modo adductis *gracilipes* vocatur. Atque ita oportuit, ne inter volandum crura mole ſua quas moleſtias exhiberent. Amplius dum volat, crura illa quam proxime abdomini admovet, ut fere eidem cohærere videantur. Crura hęc ciconina apud Belgas in proverbium abierunt. Nam *Oyevaers beenen*, crura longa & gracilia vocantur, quæ jam olim dicteriis obnoxia fuiſſe conſtat ex Sueton. & Seneca, pluribuſque notatum fuit à Maximo Caſaubono ad Sueton. Calig. tales à Latinis proprie vocantur

tur (ut hoc in tranſcurſu notemus) *perſiles.* Gloſſarium, *Perſilis*, μα-κροσκελής Græci talbius Perdicum crura tribuere ſolent. Cave ſis vero cũ aliquibus intelligas avem perdicem, reſpicitur enim caupo, qui in terra Græcia Perdicis nomẽ ferebat: quemadmodum notatum eſt ab Ariſtophanis Scholiaſte ad Aves ipſius, quem in Pindarum quoque, eaquæ hodie habemus Scholia, ſcripſiſſe, alias cum bono Deo fuſius probabimus. Sed hæc obiter. IV. Renibus quam proxime teſtes conjuncti ſunt, quam ob cauſſam cito & citra difficultatem cum compare ſua non tantum ciconia congreditur, ſed ex parte quoque, uti poſtea patebit, ſalacitatis argui poteſt. V. Per renes illius medios, perreptant varii canaliculi oblique poſiti, latiores quam in aliis animalibus, per quos excernitur candidum excrementum urinæ analogum. Atque hinc patet, cur excrementa ejus candida & li-

Digitized by Google

quida inſtar aquæ ſint; quod cum reliquis avibus ipſi commune eſt, quæ cum non mingant, & tamen bibant, humidum illud aqueum partim plumis alendis deſtinatur, partim excrementa quoque tenuiora & aquea reddit. Notatum autem eſt, copioſe aquam haurire ciconiam unde non poteſt non quoque majori quantirate excrementa excernere. VII. Teſtes quoque ciconiæ, ut & reliquis avibus, intus in corpore poſiti ſunt, atque ad ſpinam formati, ne qualicunque mole, ſi extra poſiti forent, inter volandum impedimenti quid adferrent. VI. Ciconia, uti & aliæ multæ aves habet appendices, ſicut notavit quoque Ariſtoteles lib. 2. Hiſt. Anim. cap. ult. Quod VIII. ad inteſtina ciconiæ, ea minus anfractuoſa & latiora notata à multis fuerunt, quæ ratio eſt quod anguillas, ſerpentes, ranas & ſimilia ſæpe integra excernat, & ejiciat. IX. Alæ

ipſius

ipſius pro proportione corporis latæ & amplæ ſunt. Inde Iobi cap. 39. v. 14. inter admiranda Dei opera refertur *penna ciconiæ*: & apud Zachariam cap. 5. v. 4. duabus illis mulieribus, quas in viſione Propheta videbat, tribuuntur alæ *ſimiles alis ciconiæ*. In ipſa autem hac ciconiæ ala, ut & ala pleraruṁque aliarum avium notari poſſunt octo oſſa. Tria majora, ſive longiora per diarthroſin conjuncta, & quinque minora per ſynarthroſin cohærentia.

CAPUT V.

De volatu in Genere, ſpeciatim de volatu Ciconiæ: Item de plumis ejuſdem.

NOn abs re forte erit, hic pauca de volatu ciconię adjicere, præmiſſis quibuſdam de volatu in genere; *Eſt autem volatus localis volatilium motus, qui per aërem fit, & ab alis*

perficitur & expletur. Ala, præterquam quod oſſibus jam ante conſideratis conſtat, potiſſimum ex pennis conſtituitur, in quibus natura ſolam potiſſimum levitatem intendit. Ideoque pennæ fungoſæ, ſpongioſæ, cavæ & rariſſimæ factæ ſunt. Quia vero aves aëris agitationibus, ut ventis atque procellis ſæpe reſiſtere debent; ideo pennæ ita conformatæ ſunt, ut in earum media latitudine ſubſtantiam habeant fungoſam quidem intus, levem & raram, ſed tamen utcunque rigidam à denſiſſima ſubſtantia, quaſi membrana tenuiſſima, fungoſo corpori obducta: Nec tamen ſolæ pennæ alarum (quas juvant reliquæ pennæ, & proportionatum iis avium corpus) volatile in aëre ſuſtinere poſſunt, ſed requiritur maxime alarum motus. Eſt autem motus alarum nihil aliud, quam earum explicatio, expanſio, productio, directio, ſeu quocunque tandem modo appellare libet, in

quo

Digitized by Google

quo cum compreſſæ atque conſtrictæ prius eſſent, dilatantur, &, ut ſic loquar, aperiuntur. Expanſæ autem alæ avem in aëre detinent, quod à conſtrictis atque compreſſis fieri non poteſt. Cujus rei hæc cauſſa eſt, quod hac ratione levior avis reddatur, quia expanſis alis aëris plurimum ſuſcipit, atque ſub ſe continet. Obſervare illud eſt in exemplo lintei, quod ſi quis conglobatum & obvolutum ex alto cadere ſinat, eodemque tempore aliud æquale & priori ſimile, ſed latius explicatum ſimiliter ſinat, clare proſpiciet, conglobatum celerius deorſum ferri, latius vero & expanſum diutius in aëre commorari. His in genere præmiſſis, ſubſequentia circa ciconiam volantem obſervamus.
I. Si quando ciconia à terra ſe librat ſurſum verſus, longe majorem laborem exantlare, ut ſe elevet, deprehenditur, quam cum a nido loco elatiori poſito avolat. Cujus rei hæc

eſt ratio, quod quo aër eſt elatior, atq; à terra remotior, eo copioſior ſubeſt, atque ad ſuſtinendum exiſtit oportunior. II. Cum ciconia alas habeat amplas, & corpus ad volandum apprime proportionatum, non tantum altum volare deprehenditur, ſed etiam ſæpe apertis alis in aëre, quaſi immobilis conſiſtere animadvertitur. In qua diſpoſitione quanquam primæ partes muſculis extendentibus deferri debent; non tamen flectentes plane quoque negligi debent, uti in motu tonico obſervare eſt. III. Quum ciconia non ſemper in aëre, ſed in terra quoque, ut pabulum ibi inveniat degere debeat, more aliarum avium, quando ad terram vult deſcendere, non ſolum alas ſuas comprimit, contrahit, & conſtringit, ſed etiam in ipſo deſcenſu explicat, alias non ſe demitteret, ſed decideret. Convenienter quoque longos ſuos pedes, cùm terræ appropinquat, extendit, ab eorum

rum enim pondere non leviter talis deſcenſus adjuvatur. IV. Recte Ioann. Baptiſta Porta lib. 1. de Villa cap. 11. notavit ciconiam nunquam ſeſe auſtro committere, ut ab aliis quoque obſervatum eſt: exiſtimo autem hoc fieri ex tacito inſtinctu naturæ, ſanitati avis hac ratione conſulentis: Auſtrum enim *hominum, pecudumque generi infeſtiſſimum eſſe*, poſt Theophraſtum & Hippocratem notavit alicubi Plinius. Sic & obſervatum anguillam flante Aquilone complures per dies ſine aqua vivere, non item Auſtro. Et tantum de volatu ciconiæ, quod ad plumas illius, eæ partim candidæ, partim nigræ ſunt. Plus tamen candoris in eis notari poteſt, quam nigredinis, & extrema maxime parte pennæ nigricant, imo quo ſeniores ſunt ciconiæ, plus nigredinis eas habere obſervatum fuit. Dubito an ob eandem cauſam, quam in gruibus notavit Philoſophus, cujus hæc verba

notatu digna occurrunt lib. 5. de Gener. anim. cap. 5. *Grues ſeneſcentes effici nigriores ajunt. Cujus affectus cauſſa eſſe poteſt, quod pennarum natura earum albicet, pluſque humoris ſeneſcentibus iis conſtituetur inpennis, quã ut facilius putredini pateat.* Geſnerus nigras totas ciconias notavit, quarum alii non meminerunt. Certe candida apud authores ſæpe vocatur hæc avis, unde Maro in Georgicis:

Candida venit avis longis infeſta colubris.

& Ovid. lib. 4. Metam. *Sumptis quin candida pennis Ipſa ſibi plaudat crepitante ciconia roſto.*

Caput. VI.

De mira Ciconiæ tranſſformatione; cæterum Fabuloſa.

OCcaſione corporis ciconini, non poſſumus non hoc loco referre lepidam de ciconiis narrationem, in vulgus receptam: Creditur ergo,

ergo, aut verius à lepidis quibuſdam hominibus fingitur.

Ciconias ſecundum certa temporum intervalla, per miram metamorphoſin converti in homines. Anno 1547, Antverpiæ excuſus eſt Belgico idiomate liber mirabilium narrationum, ut loquitur Anonymus author, (video Hadrianum Hecquetium Carmelitam, in ſuo *Peritaſmate argumentorum inſignium*, excuſo Lovanii anno 1564. multa ex hoc authore deſumſiſſe) in quo pag. 113. narratur de quodam nauta, eodemque inſigni urinatore, nato Iſelſtadii (*Iſelſteyn*) nomine *Iacob Pieterzoon*; quod cum navigaturus in Hiſpaniam, quodam die ad funem ſe in mare dimiſiſſet, quo poſſet ab impedimento liberare anchoram in altum projectam, offenderit anchoram eandem intricatam inter ramos arboris ceraſi, arborique aſtiterit virunculus quis pro æditumo ejus loci ſe gerens, à quo cum familia-

Digitized by Google

riſſime de nomine ſalutatus eſſet, cognoverit eam ciconiarum & pariter Pygmæorum regionem eſſe, eundemque illum æditimum ad multos annos æſtivo tempore (quo ſoleret eſſe ciconia) in urbe patria nidum habuiſſe, atque in teſtimonium ejus rei protuliſſe annulum, roſtro aliquando ſubductum nobili matronæ, ab eaque in horto derelictum, cum manuum lotioni vacare vellet; ſimulque ciconinum illum æditimum advocaſſe; complures ejuſdem molis viruncules, ut anchoram expendirent, atque hoc Iacobum Petri ad ſuos reverſum pro vero retuliſſe, in rei teſtimonium prolato annulo, quem acceperat. Sed quis anilem & bullatam hanc fabulam riſu non explodat, maxime cum referatur in eo libro cui meritiſſimo quis præſcripſerit hunc Lucillii verſum:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Meta-

Metamorphoſis ad poëtica commenta pertinens, inter ſpecies dari non ſolet: nec de ciconia, quicquid pueris, & deliris aniculis videatur, credi debet; niſi ab aliquo ex gente Menenia; qualis narratur fuiſſe Scholaſticus quis, (cui forte illa Chryſippi definitio apud Clementem Alexandrinum in Pædagog. lib. 2. aptari potuit: *Scholaſticus eſt animal, quod ab omnibus deridetur*) qui Auguſtam Vindelicorum ad ſuos reverſus, ciconiam ſupra patris caminum nidulantem prolixa oratione ſalutaſſe dicitur, quod cum paulo ante cum aliis apud Rhetos fuiſſet, incidiſſet in quem cauponem, à comitibus ſcil. inſtructum, qui pecuniam pro ſymbola recuſaſſet, quod ſingulis æſtatibus, quibus ciconia eſſe ſoleret, pluribus beneficiis à parentibus ipſius afficeretur.

CAPUT

Caput. VII.

De victu Ciconiarum.

MIſſo ciconiæ corpore, & ridiculis fabellis circa illius metamorphoſin, ad victum illius nos convertimus, de quo ſic Ariſtoteles lib. 8. Hiſt. Animal. cap. 3. *petit lacus, & fluvios ardeola, & albardeola, quæ magnitudine minor eſt, roſtro lato, porrectoque. Item ciconia, & gavia, &c.* Signanter magis *Gaſper Heldelinus jam antea ad partes vocatus:* Ciconia, *inquit*, duo maxime loca victus quærendi gratia frequentat, ſtagna ſcil. & prata. E Stagnis lacubuſque, adde etiam paludibus, varia quidem & multa animalcula, ſed præcipue omnis generis ranas mira celeritate comprehendit, comprehenſas, ſtatim jactu quopiam non fallente in fauces dejicit, dejectas in ſtomacho recondit. Verum eas modo ranas infenſius inſectatur, quæ regni

regni ſui (aquarum) terminos egrediuntur. Cæterum prata ea potiſſimum frequentare inſuevit, quæ in convallibus aut locis irriguis jacent. quod genus Græci βαθυλίμυς vocant: inde lacertas, cherſidros, alioſque ſerpentes, ranas calamitas, aliaſque pratorum peſtes capit, maxime autem cæcilias, id eſt, cæcos ſerpentes, quibus unice delectatur, ſectari ſolet. *Hæc ille.* Quod de ſerpentibus notat, obſervatum quoque eſt à Iuvenale Sat. 14.

Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta:
Illi eadem ſumptis quærunt animalia pennis.

Inde Theſſalis, quorum vicini erant Cicones, de quibus antea, in veneratione maxima fuit ciconia. Plin. lib. 10. cap. 23. *Honos ciconiis, ſerpentium exitio tantus, ut in Theſſalia capitale fuerit occidiſſe, eademque legibus*

legibus pœna eſt, quæ in homicidam. Et Stephanus in Comment. de Urbib. in voce Theſſalia: *In illa*, (Theſſalia ſcil.) *non licet ciconias occidere, quod regionis ſerpentes tollant.* Eadem habet Plutarch. Comment. de Iſide. Clemens Alexandrinus in incomparabili ſuo Protreptico: *Ex vobis quidam ciconias honore affecerunt.* Quo loco tamen non tam Theſſalos, ut vir doctus exiſtimat, quam Ægyptios reſpicit. Licet enim Theſſali honorarent ciconias, non tamen eas habebant pro Diis, ut Ægyptii, quos ciconias divinis honoribus affeciſſe conſtat ex Horo Apolline. Similiter *Ibim*, avem ciconiæ cognatam, adorare ſolent, de quo poſt Herodotum lib. 2. conſulendus Plin. lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 28. Neſcio quis impoſuerit doctiſſimo viro, Gentiano Herveto natione Gallo, namque ad dictum Clementis locum hæc commentatur: *Adhuc hodie ciconiæ in honore habentur in inferiori*

feriori Germania, quam vocant Flandriam, in qua etiam fertur eſſe capitale eas occidere, propterea quod ea regionem purgent à ſerpentibus. Quanquam enim per Belgii provincias, favetur ex gentis conſuetudine fœtui ciconino, nullæ tamen pro ciconiis leges ſunt latæ. Quoniam vero ciconiæ ſerpentibus infeſtæ ſunt, eleganti proverbio dixit Ammianus Marcellinus lib. 22. *Eandem terram & ſerpentes & ciconias ferre*; cum ſignificare vellet, naturæ incommoda (ſi quæ talia cenſeri queant) contrariis commodis penſari.

CAPUT VIII.

De partu Ciconiarum, & quomodo hæ pullos ſuos enutriant: Item ubi nidulentur, & quali modo nidos ſuos extruant.

ET tantum de victu ciconiarum: ex ordine antea definito conſiderandus dein earum partus. Quod vero

vero de avibus in communi conſideratis, notatum eſt à Philoſopho Sect. 4. Problem. 32. experientia ſuadente, circa ciconias obſervatur. Eæ enim ſalaces ſunt; cujus rei uti antea aliquam incidenter rationem attulimus; ita hic Ariſtoteli per omnia ſubſcribimus, loco jam laudato illud referenti ad calorem exquiſitum, cum humido prædominante conjunctum. Nidum autem ciconia extruere amat in frequentia hominum, in turribus elatioribus, caminis, &c. Imo in arboribus ipſis ſæpe ſtabulari deprehenditur. Hinc Pſalm. 104. v. 16. canit Pſaltes: *Satiantur arbores Iehovæ, Cedri Libani quas plantavit: quod ibi nidificent volucres, ciconia quarum domus abietes.* Quod obſervare eſt non tantum in radicibus Alpium, uti oculatus teſtis Goldaſtus affirmat apud Erhardum in Symbolis Petronianis, verum etiam in vicina Drentia notare alicubi licet. Solet autem ciconia

nia nidum diligenter adornare, eumque non facile mutare; quem ſemel enim extruxit, quotannis quamdiu durat, repetere ſolet; obſervatumque eſt eam, poſtquam jam pullos quoque excluſit, luto & injectis virgultis nidum munire, quo contra ventorum, atq; reliquos tempeſtatis impetus durabilior exiſtat. Quo die ova parere ſoleat, aut quoto die eadem excludere, vix definite dici poteſt. Fœmella fere iis incubare ſolet, ſic tamen ut aliquando in partes quoque veniat maſculus, qui notatur, eo tempore, quo ovis fovendis illa vacat, proſpicere eidem de cibo. Exiſtimavit Solinus ſoli ciconiæ competere, ut dum incubat ovis, plumis ad pectus orbetur; (ita quippe ſcribit cap. 41. de iiſdem: *Ita impenſe nidos vovent, ut incubitus aſſiduitate plumas exuant.*) ſed idem hoc accidere gallinis, columbis, plurimiſque aliis avibus, proli procreandæ, & fovendæ, ex

naturæ

naturæ inſtinctu diligentius vacantibus; illi norunt, qui admiranda naturæ diligentius attendere conſueverunt. Vulgo creduntur ciconiæ, in gratitudinis ſignum, ſive ovum, ſive pullum de nido projicere, ut hac ratione vices reddant hoſpiti, cujus ædibus adhærent. Sed cum non ſemper hoc faciant, ſed tum, quando pullicie numeroſiori gaudent, quam aut nidus capere, aut ipſæ educare queant; exiſtimandum potius eſt, hoc ab iis fieri aut tædio educationis, aut ut aliis pullis commodius proſpicere queant: quemadmodum hoc & aquilæ aliæque aves facere aſſolent. Infeſtiſſimi ciconiis, earumque ovis veſpertiliones eſſe ſolent: ſic obſervatum illas nidos, licet per complures annos frequentatos, deſeruiſſe, reperto circa eos veſpertilionum examine. A natura tamen præſidium adverſus hunc hoſtem ciconia accepit; eumque, qui non tantum mani-

manifeſto, ſed occulto quoque nocere laborat; propellit præſidio ab ipſa natura adinvento, ſive platani arboris foliis; quibus nidum ſuum munire ſolet. Diſtincte poſt plures alios Jo. Bap. Porta lib. 2. Villæ, cap. 84. *Veſpertilionis tactu ciconiarum ova ſterilia redduntur, verum ad illatum maleficium hoc natura facere remedium edocuerunt; platani folia ſuis nidis ingerunt, ut advolantes veſpertiliones natura torpore comprehenſæ, perniciem afferre nequeant.* Quæ ut magnam partem deſumpta ſunt ex Æliano lib. 1. de Anim. cap. 37. ita quadantenus per cauſas manifeſtas expediri poſſunt. Siquidem platani folia vim habent exſiccandi admodum, cujus non poteſt non impatiens eſſe veſpertilio, animal per omnia viſcoſum & pituitoſum. Deniq; ratione educationis pullorum ciconinorum, hoc præteriri non debet, quod parentes ſimulac volucres illi eſſe incipiũt, eos volare doceant,

exem-

exemploque ſuo oſtendant, quomodo alas commovere & ad volandum ſeſe accingere debeant; quos illi imitando primo ſeſe ſublevare, dein ſupra nidum ſurgere, poſtea circa illum volare, ac poſtremo eundem quoque deſerere audent.

Caput IX.

De moribus ciconinis, analogice ſic dictis. Speciatim de caſtitate.

Agendum dein de moribus, ſive virtutibus ciconiarum analogice hic intelligendis, verum enim eſt illud Philoſophi, lib. 7. Eth. Nicom. cap. 1. *Beſtiæ neque vitium eſt, neque virtus*; uti alias prolixius oſtendimus in peculiari hac de re Diſſertatione. Initio autem hic notari debet ſtudium caſtitatis, ac vindicta exerceri ſolita in eas aves, quæ eam violare inſtituunt. Inde ab Epiphanio Phyſiol. cap. 25. vocatur ἁγνότατος ὄρνεος, *avis caſtiſſima*; nam ut ſubji-

Google

ſubjicit, *mas nec Feminam illecebris ad coitum provocat, nec ipſi vim infert*, conſulendus amplius Conſalus Ponce de Leon, ad eum locum. Ex plurimis exemplis duo ſolum adducimus. Prius refert vir maximus & celeberrimus Ioachimus Camerarius Decur. 9. Probl. probl. 8 *cujus hæc verba*: Sed ut hanc diſputatiunculam, quemadmodum orſus fui à ciconiis, ita in his deſinentem concludam, addam quod ad authorem refertur, principem quendam virum, quem in tam levi re nominari non decet. Is non fando ſe cognoviſſe, ſed ipſum vidiſſe affirmavit, id quod antea audiiſſet, & fabulam eſſe credidiſſet; ciconiam fœminam, quæ adulterum haberet, quoties huic ſuccubuiſſet; toties pura aqua corpus abluiſſe, immerſam in ſtagnum vicinum nido ſuo, ne odoraretur par flagitium. Quodam tempore celeritate advenientis paris à lavacro fuiſſe excluſam: ita deprehenſo

henſo adulterio, in ſublime ſubvolaſſe marem, & concitatiſſimo impetu ſe in fœminam intuliſſe, atque illam roſtro transfixiſſe. *Hæc ille.* Neander in ſua Phyſica hoc acci-diſſe refert, in Bavaria in pago *Tangen*, citatque eujus rei teſtem Aventinum, apud quem tamen hoc invenire non potui. Alterum exemplum habet Crollius, in Commentario de Signaturis Rerum, ubi ita: *E viri fide digni, ejuſque oculati teſtis, narratione intellexi, Ciconiam adulterio convictam per olfactum maſculi, congregata à maſculo multitudine ciconiarum ac detegente ipſo crimen fœmellæ, ipſam à tota illa multitudine, tanquam omnium judicio ream judicatam, deplumatam, ac prope urbem Spiram, in Sylva diſcerptam fuiſſe.* Ne ad partes quoque vocemus Guil. Pariſienſem, qui in Chronico ſuo ſimile quid notavit. Nec tantum in ſuo genere adulterium caſtigat ciconia, ſed in hominibus aliquando etiam,

ſi quæ

Digitized by Google

ſi quæ fides Æliano, qui ita per interpretem ſuum lib. 8. Hiſt. Animal. cap. 20 *Ciconia*, inquit, *rivali invidia fertur. Nam quum in Crannone Theſſalia*, (Civitas eſt Theſſaliæ, teſtibus Plinio & Stephano, *Ephyra* ab Homero vocari creditur; ſi Bellonio fides, hodie *Cerres* appellatur) *eximia forma mulier, cui nomen eſſet Alcinoë, à conjuge peregrè profecto domi relicta, ſtupri conſuetudinem cum ſervo quodam feciſſet; hoc quidem ipſum Ciconia intelligens, uxoris nempe in dominum perfidiam, non ſuſtinuit quo minus quam mox facto impetu, eam ſenſu oculorum orbans, injuriam in dominum illatam ulciſceretur.*

Caput X.

De inſigni amore, quo Ciconia tum pullos, tum parentes ſuos proſequitur.

Amplius impenſe admodum ciconia ſuos pullos diligit, adeo ut vi-

ut vitam quoque pro iis profundat: notabile hujus rei exemplum obſervatum eſt Delphis, in vaſto illo urbis incendio anno 1536: 5 Non. Maii: ciconia enim à paſtu redux, cum domum, in cujus camino nidum cum pullis involucribus reliquerat, à flammis undiquaque cinctam videret, irritoque conatu pullos ſuos præſenti periculo fruſtra eximere laboraſſet, poſtremo paſſis alis ſupra pullos ſe extendit, atque cum iis flammæ vi in cineres eſt redacta. Quod quoniam luculento Epigrammate vir Doctiſſimus & Candidiſſimus Adrianus Iunius in ſua Batavia illuſtravit, non pigebit illud hoc loco exhibere:

Candida & obſtreperis inviſa Ciconia ranis,
Pignora ab ardenti viderat igne premi.
Eripiatne ſuos, & aperta pericula tentet?

Hinc

Digitized by Google

Hinc ſuadet pietas, vita amor inde vetat.
Hanc luctam pietas generoſa diremit, & urna
Eſſe eadem, & ſobolis vult Libitina ſua.
Iam minor Aſſyrium Phœnicem fama loquatur,
Vivere quæ buſto quærit, at iſta mori.

Adeo verum eſt, quod dicit Fabius Quintilianus Declam. 387. *Nidulorum, ſi infeſtantur, crebra mutatio eſt: nec quicquam uſque eo ferum eſt, ut non cum progenie ſua migret: adeo illis, quibus omnium rerum intellectus negatus eſt, hic tamen affectus relinquitur.* Ulterius, Ariſtot. lib. 9. Hiſt. Anim. cap. 13. dicit: *Ciconias genitorum ſenectutem invicem educare, invulgatum eſt.* Et Plin. lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 22. *Ciconiæ nidos eoſdem repetunt: genitricum ſenectam invicem educant.* Eadem ha-

Digitized by Google

bet Solinus, Philo in Expoſit. Decal. Baſil. Hom. 8. in Hexaëm. Epiphanius in Phyſiologo cap. 25. Ælian. cap. 23. Phile, Ambroſius loco citato, aliique ſine numero, atque inde gratitudinis ſymbolum erat Ægyptiis; uti patet ex Horo Apolline lib. 1. Hierogl. cap. 55. itemque, illius qui patrem diligit, uti idem teſtis eſt lib. 2. cap. 58. Egregie Caſſiodorus lib. 2. ep. 14. *Ciconia redeuntis anni jugiter nunciatrix, ejiciens triſtitiam hyemis, lætitiam verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum. Nam cum parentes eorum pennas ſenio coquenie laxaverint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inveniri, plumis ſuis genitorum membra frigida refoventes, eſcis corpora laſſa reficiunt: & donec in priſtinum vigorem alis grandæva redierit, pia viciſſitudine juvenes reddunt, quod à parentibus parvuli ſuſceperunt.* Et tamen plures aves hoc facere, teſtis videtur

tur eſſe Sophocles, apud quem in Electra verſ. 1063. Choras ſic accinit :

> Τὶ τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους
> Οἰωνοὺς ἐσορώμενοι
> Τροφᾶς κηδομένους, ἀφ' ὧν τε
> Βλαστῶσιν, ἀφ' ὧν τ' ὄνησιν εὕρωσι
> Τάδ' οὐκ ἐπίσης τελοῦμεν;

Iterim per aves Scholiaſtes notat intelligi πελαργοὺς, ſive *Ciconias*. Et tamen Ennodius Declam. 9. cujus hæc eſt Inſcriptio : *In eum, qui ſeni patri cibos ſubtraxit*: idem Aquilis tribuit. Sic enim inter alia loquitur : *Aquilas* (inquit) *legimus fœtuum miniſterio paſci, & beneficia parentum, quod implumes nati, quando ovorum unticis exuuntur, intecti ſunt, diſtricti æquitate reſtituunt. Non putant volucres eſſe liberum, accepta denegare.* Communiter tamen authores, anis Ciconiis (cum quibus varia poſſe facere alias aves non negarim) hoc pietatis officium deferunt. Libet ſubjicere inſigne car-

men, quod rarius ſit, Cornelii Muſii Delphenſis Sacerdotis, à Comite Lumæo frementibus Ordinibus, & ipſo Guiljelmo Naſſovio patriæ patre anno 1572. interempti:

1. *Inſigniter quondam pia*
Mater ſuos Ciconia
Pullos tenellos educat,
Curat, fovetque ſedulo.

2. *Idem ſibi exſpectans ſeni,*
Ac deſtitutæ viribus,
A prole grandiuscula,
Dulce in vicem ſolatium.

3. *Nec fallitur ſpebus ſuis,*
Nam membra proles languida,
Parentis ecce debilis,
Suis lacertis ſuſtinet,
Atq; ore porrigit cibos.

4. *Romana an hæc Ciconia,*
Lamberte, ſit vel Attica,
Peritiores diſputent:

5. *Nobis ſatis ſuperque ſit,*
Cujas ea ipſa cumque ſit,
Quod impotenti & indigæ
Matri rependerit vices.

6. *Nos*

6. *Nos Chriſtianos interim*
Typo ſacrato commonens,
Vt gratias parentibus,
Pro tot piis laboribus,
Ne negligamus reddere.
7. *Nam turpe ſane & impium,*
Eſſet Deo ſimillimos,
A beſtiis volucribus
Virtute prima vincier.

Ab hac gratitudine, atque pietate in parentes, Ciconia a Germanis, aliiſque populis eleganter vocatur *een Storck*, manifeſta alluſione ad vocem Græcam στοργὴν: elegans per omnia quoque eſt Græcorum verbum ἀντιπελαργεῖν, quod Suidas interpretatur ἀντιδιδόναι τὰς χάριτας. Et hæc eſt illa lex avium, ad quam reſpicit Ariſtophanes in Comædia, quam Avium titulo inſignivit. Græca Comici verba ſic reddidit doctiſſimus Andreas Divus ſoluta oratione: *Sed eſt nobis avibus lex antiqua, in ciconiarum tabellis: poſtquam pater Pe-*

Digitized by Google

largus evolabiles omnes faciet, Pelargides pullos nutriens, oportet pullos patrem rurſus nutrire. Ex quo loco noto, ciconiam vocari πατέρα ſive patrem, quomodo à Belgis quoque vocatur *een Oyevaer*, quaſi *Oudevaer*; quod jam ſenio confectus pater à pullis ſuis nutriatur, atque portetur, quemadmodum expreſſe ſocci decus notat. Niſi quis dicere velit, hanc noſtram vocem Belgicam, ex parte ad linguam Græcam referendam eſſe, atque deſcendere à Græco οἴειν, quod teſte Suida geſtare ſæpe ſignificat: ita ut *een Oyevaer*, ſit quaſi avis portans ſuum *Vader*, aut abbreviate *vaer*, id eſt, patrem. Alias Belgis een *Oyevaer* eſt aries, quod beneficio ovis fœminæ (hæc Belgis *een Oye* vocatur) pater reddatur. Inde quidam in vocabulo Belgico ambiguo ludentes, dicunt in Belgio inveniri *Oyevaers met hoornen*, quaſi dicas ciconias cornutas, cum tamen intelligere conveniat

veniat arietes cornutos. Sed ut ad antipelargoſin redeamus, ea pro quacunque remuneratione accipitur, ut docet (ſexcenta alia hoc tempore ut omittamus, alio loco alias exhibenda) eximius Clementis Alexandrini locus lib. 1. Pædagogi: *Cæterum caro quoque ipſa*, dicit, *& ſanguis qui eſt in ipſa*, οἷον ἀντιπελαργούμενον, *lacte irrigatur & augetur.* Hæc ciconiæ gratitudo, & ab omnibus in vulgus credita, ab Alciato hoc emblemate, quod eſt 30. commendari meruit:

Aërio inſignis pietate Ciconia nido,
Inveſtes pullos, pignora grata fovet.
Taliaque exſpectat ſibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia ſpem ſoboles fallit, ſed feſſa parentum

Corpora fert humeris, præſtat & ore cibos.

Quod uti hactenus omnes aſſenſu ſuo approbarunt, ita mirandum eſt, quod refert Neander in ſua Phyſica, *ubi ita*: Quæ à multis authoribus, Ariſtophane etiam, de ciconiarum pietate in parentes produntur, videmur contraria animadvertiſſe in ciconiis Isfeldenſibus anno 1582. ubi pulli anno præcedenti excluſi & educati in nido Isfeldenſi à ſedulis parentibus ſequente anno & loco forſan delectati, matri iterum ova, excubanti, quæ recens tria poſuerat, bellum, me & aliis multis inſpicientibus hora pomeridiana clara luce intulerunt, matrem nido exturbarunt, ova ejus perfracta præcipitarunt, ova ſua in eodem poſuerunt, unde tres pullos excluſerunt, quos ſecum in migratione abduxerunt. *Hæc ille*: quæ nos in medio relinquimus, ſiquidem falli potuerunt

bujus

hujus pugnæ ſpectatores in ciconiarum diſtinctione.

Caput XI.

A gratitudine quoque commendari meretur Ciconiæ. Inter illas indicii quoque processum obſervari videtur.

SI hiſtoriis fides habenda, ciconia gratam ſe quoque exhibere ſolet erga homines, à quibus beneficii quid accepit, aut benigne habita fuit. Notatu digna eſt Æliani hiſtoria, occurrens lib. 8, Hiſt. Anim. cap. 22. quam non pigebit hoc loco verbis Interpretis exhibere. *Ita ergo ille*: gratam accepti beneficii memoriam ipſæ etiam beſtiæ retinent: Tarentina mulier, nomine Heracleis, & cæteris in rebus ex maxime ràro fœminarum genere fuit, & vero ab omni ſtupro integram caſtamque ſe marito conſervavit. Quippe quæ ut viventem eum ſtudio, ſic

poſteaquam è vita exceſſerat, ſe fidiſſimam & ab omni libidine continentem humato conjugi præſtans, urbanas commorationes & domum, in qua mortuum vidiſſet maritum, adeo male odit, ut præ mœrore ad ſepulchri monumentum, ubi ſepultura affectus ille eſſet, miſerrime commoraretur. Hæc igitur fœmina, quum æſtivo anni tempore Ciconiis pullorum ſuorum volatum experientibus, unus infirmiſſima ætate, & alarum debilitate delapſus, alterum crus fregiſſet, ejusdem caſum intuita, cognito morbo, miſericordiam pullo præbuit: nam & vulnus blande cauteque obligavit, & medicamentis & cibo potioneque adhibitis cicatricem obduxit, & ad incolumitatem perduxit: atque jam ad volatum confirmatum, è manibus dimiſit. Hic admirabili quadam naturæ intelligentia, non ignorans ſe conſervatæ vitæ præmium mulieri debere: anno poſt, quum ad

ver-

vernum ſolem forte apricantem e-
am, quæ ſibi benigne fecerat, per-
ſpexiſſet, demiſſo atque humili vo-
latu proxime ad ipſam profecta, in
ejus ſinum lapidem evomuit: dein-
de in tecto ſubſedit. Cujus jactus
admiratione commota Heracleis,
dubitabat quid illud eſſet. Quum
igitur lapidem intus alicubi depo-
ſuiſſet, nocte inſequenti ſomno ſo-
luta, eum fulgere & radiatam do-
mum tanquam immiſſis facibus ex
eo ſplendere perſpexit: maximus
enim ex lapide pretioſiſſimo fulgor
exibat & generabatur: ubi vero Ci-
coniam comprehendiſſet, & vulne-
ris cicatricem percepiſſet, hanc a-
gnovit eam eſſe, quam miſeratione
commota curaviſſet. *Hactenus Æli-
anus.* Similiter refert Geſnerus fide
Juſtini Gobleri I. C. aliquando civi
Veſalienſi à ciconia allatā fuiſſe ra-
dicem Zinziberis, quod ab eo in te-
cto ubi nidū ſuum habebat, tolerare-
tur tanquā gratus hoſpes. Quæ enim

 adjicit

adjicit de ſalutatione ciconiæ, fauſtisque omnibus à patre familias ſalutationi ſubjectis, quod infra fidem eſſe videantur, adjicere piget. Nec hoc prætereundum, quod inter ciconias quæ judicii forma & proceſſus obſervari videatur. Notatu digniſſimum exemplum, atque unice huc faciens habet vir maximus, jam antea ad ſuffragium vocatus, Joachimus Camerarius loco ſupra citato, ubi hæc lego: *Eſt & hoc Germanicis hiſtoriarum ſcriptis memoriæ proditum, anno Chriſti* M. CCC. LV. *magnam multitudinem ciconiarum, ad oppidum, cui nomen Crucibergum, conveniſſe, quæ advolarent undique biduo, conſidentes ſupra tecta oppidi & mœnia, poſtea viſam eſſe totam illam multitudinem ſe ſimul conferre ultra fluvium Wertam in pratum quoddam, ibique conſiſtere, ea ſpecie, qua eſt exercitus, quum orbis quidam efficitur ad aliquarum rerum cognitionem. Paulo poſt incitatæ aves illæ prorumpentes, ex*

omni

omni numero tres roſtris confixas interemerunt, & iis relictis in prato avolarunt, quarum dein cadavera à pueris ſublata & in oppidum delata fuerunt. Et hæc ſunt, quæ maxime circa mores Ciconiæ, analogice ſic dictos, notari ſolent. Ex quibus tamen neutiquam colligere licet, avi huic in ſe brutæ, quem gradum intellectus, aut ingenii competere; cum hæc omnia convenientiſſime referri queant ad Phantaſiam, peculiaremque illius affectionem, quam alii *inſtinctum* vocare ſolent, uti alias prolixius expendimus. Simul conſtat, cur pietas, virtutum prima eidem à maximis Scriptoribus tribuatur. Ita à Syro apud Petronium in verſibus antea citatis *pietaticultrix* dicitur. & Ambroſ. lib. 5. Hexam. cap. 22. de hâc eadem: *Romanorum uſu, pia avis vocatur: & quod uni Imperatori conſulto Senatus delatum dicitur, hoc iſtæ aves in communi meruerunt.* Dubito, an non propterea olim, uti ſolus

Suidas

Suidas ex antiquis teſtis eſt, ciconiæ imago ſuper regum ſceptris exſculpi conſueverit. quo ſcil. iis inſtillaretur,

Indomitum nil eſſe pio, tutumque nocenti,

uti canit Claudianus de IV. Cons. Honori.

Caput XII.

De Medicis & diæteticis ciconiæ uſibus.

Accedimus ad ciconiæ uſus Medicos & diætericos. Quod ad illos, jam olim varia in ciconino corpore notata fuerunt, quæ vice pharmacorum contra varia morborum incommoda adhiberi poſſent. I. Commendatur admodum à Plinio ejus ventriculus, ut enim teſtis eſt lib. 29. Nat. Hiſt. cap. 5. valet *contra venena omnia:* idem ille *in aqua decoctus furunculis medetur,* fidem faciente eodem lib. 3. Nat. Hiſt. c. 12. Inteſtina ejuſdem in cibo oblata, à Faventino mirum quam com-

Digitized by Google

commendantur contra dolores colicos & nephriticos. III. Ova illius in vino ſoluta ſecundum Geſnerum capillos denigrant. IV. Idem nervos cruribus proximos contra dolores podagricos commendat. V. Crollius l. de Signat. quintam ciconiæ eſſentiam admirabilem contra vertiginem eſſe prædicat. VI. Præ cæteris ejus fimus, & excrementa jam olim contra morbum Comitialem commendari ſolent. VII. Galeni quoque ætate commendabatur ſtercus hoc ab occulta qualitate, contra orthopnæam, quos tamen maximus vir ſerio arguit l. 10. de ſimplic. Med. facult. de hoc eodem ſtercore ſic loquens: *Haud ſcientes, quod pituitoſus viſcoſuſque ſuccus bronchia pulmonis obſtruens, hujus affectus* (orthnopnææ) *ſit cauſa, & quod in eo evacuando conſiſtat curatio, & quod evacuatur, dum per tuſſim excreatur; & quod id fieri nequeat abſque crebro epoto medicamento acriori. At*

hi

hi adeo ſunt nugaces aut præſtigiatores, aut quo illos appellem nomine neſcio, ut dicant, abſurdorum poculorum iſtorum utrumquodque epotum à dyſpnæa liberare: quod fieri non poſſet; ne ſi ſpecillum fas eſſet alicui in pulmonem demittere, quo infixum humorem tolleret, ſemel duntaxat dimiſſo.
VIII. Erneſtus Burggravius in Lampade vitæ, teſtis eſt, ex ſanguine Ciconiæ præſentiſſimum contra quæcunque venena antidotum parari. Quod nos ſuo loco relinquimus. Scroderus amplius lib. 5. Pharmacop. Chymico-Medicæ cap. 48. commendat Ciconiæ axungiam adverſus podagricos & tremulos articulos: ut & fel ipſius contra oculorum vitia. Qui & loco dicto ex pullo ciconiæ integro, alterum deplumato, exenterato atque in fruſta diſſecto conficere docet ſingulare Antidotum adverſus Epilepſiam: ut & lib. 2. cap. 51. ex ſanguine ſerenti Ciconiæ Arcanum Alexipharmacum,

macum, idemque efficaciſſimum contra omnis generis venena.

Succedit uſus diæteticus. Jam olim autem ciconia abominationi fuit Iſraëlitis propter legem cæremonialem Dei de ea, occurrentem Levit. cap. 11. v. 19. Quam legem per Chriſti adventum abolitam, revocare videtur Zacharias Pontifex in Epiſtola ſua ad Bonifacium, quæ extat Tom. 2. Concil. expreſſe enim in ea prohibet ciconias comedere. A Romanis tamen nepotibus, licet ſero, menſæ illata fuit, ſola novitate & helluandi libidine eandem condiente. Tangit P. Syrus apud Petronium in Satyrico:

Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Autho-

Digitized by Google

Authorem hujus tam inſolentis ganeæ Horatius facit virum quendam prætorium, lib. 2. Sat. 2.

Tutus erat rhombus, tutoq; ciconia
nido,
Donec vos author docuit prætorius.

Quo loco antiqui interpretes, alii Sempronium, alii Rutilium Rufum nominant. Atque is fortaſſe Rufus eſt, quem Tertullianus in fine libri de Pallio, inter nobiliſsimos lurcones recenſet, ac cum Apicio conjungit. Is tamen prætor non fuit, ſed præturæ candidatus repulſam tulit. Diſplicebat enim populo novitas luxuriæ, in animalia ad epulas non nata ſævientis. Exſtant ſcripti in illum veteris elegantiæ verſiculi apud Porphyrionem Horatii Scholiaſtem:

Ciconiarúm Rufus iſte conditor,
Hic eſt duobus elegantior Plancis,
Suffragiorū puncta non retulit ſeptem
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

Ut ut ſit, ciconias Romanis ganeonibus in cibos quoq; placuiſſe, conſtat

ſtat ex Fragmento Cornelii Nepotis apud Plin. l. 10. Nat. Hiſt. cap. 23. *Cornelius Nepos, qui Divi Auguſti Principatu obiit, cum ſcriberet, Turdos paulo antè cœptos ſaginari, addidit ciconias magis placere, quam grues, &c.* Sed eandem mox diſplicuiſſe, patet ex iis, quæ idem Plinius proxime ſubjicit: *Nunc nemo velit illã attigiſſe.* Nec præter rationem. Quanquam enim non eſt abſtinendum ea, ut ave immunda, (lege enim cæremoniali abrogata omnia mũda mundis ſunt) abſtinendum tamen eſt, ut ave inſalubri. Quiſquis enim victum illius conſideraverit, prorſus abhorrebit:

Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta.

Nec dubium eſt, quin illius caro virulentæ eſcæ malignitatem retineat. Nam ut memoriæ prodidit Julius Alexandrinus à Neuſtain Ferdinandi J. Medicus cubicularius, in libris Salubriũ, qui illam Cęſarei Archimagiri

giri artificio paratam explorandi cauſſa guſtavit, alieniſſimi ſaporis eſt, in quo deprehendas neſcio quem horrorem inſuavitatis, quæ nullo condimento edomari poteſt.

Caput. XIII.

De Auguriis & ciconiis capi ſolitis.

Supereſt uſus auguralis, breviter conſiderandus: quanquam vero auſpiciis nihil eſt tribuendum, Deuſque hoc prohibet Deut. 18. v. 10. ſuperſtitionem tamen vulgi hiſtorice ſolum, nullaque ratione eam probando, hoc loco annotatum ibimus. I. Fauſti fere ominis loco cenſeri ſolet primo vere ciconiæ occurſus, maxime vero ſi animo defæcato atque læto fuerit is, cui novus hoſpes ſit obvius; in hunc finem vulgo quoque recitatur ab iiſdem, hoc nomine ſibi gratulantibus, notiſſimus ille Homeri verſiculus:

Δός μοι εὐαγγέλιον, ὅτι πάρος ἦλθε
πελαργός.

Præ

Præ cæteris vero, præmaturus illius adventus fauſti aliquid portendere creditur, quomodo notatum fuit à Cl. Cunæo in Oratione, qua Natalem Academiæ Leidenſis celebravit, anno 1575. quo contigit die 8. Februarii Academiam illam inaugurari, jam tum ciconiam conſpectam fuiſſe, quod auſpicium ciconiæ, atque optimarum rerum nunciæ, ab omnibus tanquam candidiſſimum admiſſum fuit.

II. Concordiam ſignificare, & portendere eadem hæc avis videtur. Præter Sarisburienſem ſupra citatum, teſtis quoque eſt Plut. in Probl. Q. unde & hoc notavit Peucerus in Divinationum libris. Aliique plures, quos commemorare hic longum.

III. Ciconiæ aut congredientes, aut majori ſolito numero apparentes, creduntur mortem magnorum virorum ſignificare. Sic Mariana lib. 23. cap. 19. de Reb. Hiſpaniæ ad

ad annum 1466. teſtatur paulo ante mortem Almagri, Magni Calatravæ Magiſtri, cui ex pacto uxor deſtinata erat Iſabella Alphonſi Majoris Caſtellæ Regis filia; (quæ poſtea nupſit Ferdinando Arragonio avo materno Caroli V. Imp.) in agro Giennenſi tantam ciconiarum multitudinem extitiſſe, ut viderentur Solem auferre. Similia ab aliis notata fuerunt. Eſt apud me liber rariſsimus, qui inſcribitur. *Compilatio Magiſtri Iohannis de Fabrica ſuper relaxione pœnarum animarum Purgatorii*, quem, antequam Lutherus Papalibus Indulgentiis obloqueretur, excuſum fuiſſe multiplices abbreviaturæ & typi negligentiores (typographi enim nomen expreſſum non eſt) oſtendunt: inſerviit is aliquando Monachis Regularibus prope oppidum *Hoorn* in Noort-Hollandia, in Frontiſpicio enim hæc verba ſunt aſſcripta manu negligentiori: *Liber Monaſterii Regula-*

gula-

Digitized by Google

gularium domus Beatæ Mariæ ſemper virginis, nova lucis in Blocker prope Hoorn. In calce autem ab eadem manu, plus minus LXX. hiſtoriolæ annotatæ ſunt, quas author ſua ætate accidiſſe teſtatur, inter eas ut multæ occurrunt, quas alibi fruſtra quæras; ita tres de ciconys notantur, quæ quoniam inſtituto noſtro ſerviunt, authoris verbis exhibere non pigebit. Ergo *primo* hæc occurrunt: *Anno* 1549. *Manſionarius noſter Iacobus*, (ſic vocatur is, qui villam aliquam colendam certo pretio accepit) *à vicino eſt occiſus, cum ciconiæ aliquot diebus ante ad tectum ipſius ſtabulantes cum vicinis diu pugnaſſent. Secundo* hoc ibidem notatur: *Anno* 1551. *ſcuria* (ita videtur nominare horreum) *propter parvam curam janitoris incenſa eſt, nec ea æſtate illic fuerant ciconiæ, multos per annos ad nidum ſuum redire ſolitæ.* Simile quid apud Celeberrimum Camerarium, loco jam antea citato

D occur-

occurrit de ciconiis, quaſi inter ſe conſultantibus, an redire deberent ad nidum ſuum, impoſitum horreo, quod dominus illius id diruere meditaretur. *Tertio* illud invenio: *Anno* 1557. *de* 11. *Iunii mortuus eſt Fr. Tymannus Horſt, cum multis noctibus ante ciconiæ, quæ ſupra caput ejus erant, admodum roſtris turbaſſent, & perpetuo multis diebus cum aliis quæ ſunt ſupra novam ſcuriam, pugnaſſent.* Similia multa alii, his ſuperſtitionibus & vanis obſervationibus dediti notarunt, quæ nos ſuo loco relinquimus, muniti contra talia ſcuto verbi divini. IV. Præterire non poſſumus augurium quod Attilæ ciconia exhibuit, de quo ſic Nicolaus Olaus in Vita ejuſdem cap. 14. *Cum Attila urbem* (loquitur de Aquilegia) *triennio fruſtra oppugnaſſet, anxius aliquando & curarum plenus, & jam pene deſerendæ urbis certus, Urbis mœnia circumequitat, & animadvertit ciconiam, in*

ſummo

ſummo cujuſdam turris culmine nidum habentem, pullos ex eodem implumes, unum poſt alium in arundinetum urbi vicinum roſtro deferre. Cujus rei ſpectaculo cum Attila diutius cogitabundus conſtitiſſet, tandem læto vultu ad ſuos dixiſſe fertur: Avem ruinæ civitatis jam jam imminentis præſciam pullis ſuis ſecuritatem præparare, ſibi victoriam & urbis dominium nunciare. Id quod eventus dein comprobavit. Idem refert Iuvencus Cœlius Calanus Dalmata in Hiſt. de Attila Hunnorum rege, aliique recentiores authores inferioris ordinis ac ſubſellii. Ominoſum vulgo quoque haberi apud nos ſolet, occidiſſe ciconiam, cujus ſanguine quiſquis ſe inquinaverit, vulgo *bidental* contrectaſſe creditur. Non faveo plebeiæ ſuperſtitioni, interim exempla occurrunt varia, ex quibus probabiliter colligi poſſet, Deum exegiſſe piacula avis per petulantiam occiſæ. Plures mecum no-

tarunt, quandam in patria familiam peſſum iviſſe, ex quo deturbaſſet duos ciconiarum nidos, per complures annos in caminis fixos. Atque conquerentem hominem audivi, ſe ad pauperiem ruiſſe, poſtquam ſclopeto ciconiam occidiſſet. At hæc hiſtorice ſolum annoto, non vero ut popularem ſuperſtitionem confirmem.

Caput XIV.

Proponuntur duo Apologi, ciconias concernentes.

UT nihil circa ciconias omittamus, hoc capite duos de ciconia Apologos ibimus propoſitum. Prior eſt Phædri Auguſti Imp. Liberti, Scriptoriſque cultiſſimi, qui lib. 1. Fab. 26. introducens vulpem atque ciconiam, hæc commentatur:

Nulli

Nulli nocendum, ſi quis vero læſerit
Multandum ſimili jure, fabella admonet.
VULPES ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitaſſe, & ei liquidam in patinâ
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit Ciconia.
Quæ vulpem cum revocaſſet, intrito cibo
Plenam lagenam poſuit, huic roſtrum inſerens
Satiatur ipſa; & torquet convivam fame.
Quæ cum lagenæ collum fruſtra lamberet,
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:
Sua quiſque exempla debet æquo animo pati.

Digitized by Google

Alter apologus occurrit apud authorem libri, qui inſcribitur *Dialogus creaturarum optime moraliſatus*; quanquam autem barbarus eſt authoris hujus Anonymi ſtylus, fabellæ tamen concinnæ admodum, & ingenioſe excogitatæ ſunt. Dialogus ergo 67. hujus authoris *ſic habet:* De Ciconia & Hirundine. Injuriam faciens, recipiet injuriam. Ciconia nidum in quadam turri faciebat foris in cacumine. Hirundo vero intus. Sed hirundo ſæpiſſime clamabat, & de natis pullis lætabatur. Ciconia vero in hoc triſtabatur. Cum enim volebat quieſcere cum filiis, non valebat propter garritum hirundinis. Sed abſente hirundine, ciconia nidum illius diſſipavit, & pullos illius interemit. Cumque ad nidum reverſa fuiſſet hirundo, ultra quam dici poteſt, triſtabatur de interitu filiorum. Sed quia ignorabat, quis hoc ei feciſſet, non ſe vindicabat. Paulo poſt iterum

rum ſe reparavit hirundo, & nidum conſtruxit, ac filios procreavit de quibus lætabatur, & plurimum garriebat. Ciconia vero ut prius perturbata, cœpit vociferari, dicens: Certe ſicut tibi feci, adhuc faciam, pullos tuos cum nido præcipitabo, propterea quod garriendo non permittis me cum filiis quieſcere. Hoc audiens hirundo, & cognoſcens, quod ciconia filios ſuos peremit, toto ſtudio ſe præoptabat vindicare. Idcirco quadam vice dormiens ciconia cum filiis ſuis, hirundo in nido illius ignem poſuit, & ipſam cum pullis ſuis inflammavit, dicens: *Qui ſe videt vindicatum, proſpicit ſe conſolatum.* In hoc apparet, quod non licet inferiores infeſtare, nec injuriari iis, ne occulte nobis mala inferant, Sæpe enim recipit homo ab alio, quod aliis fecit, unde Seneca: Ab alio exſpecta, quod aliis feceris, & ad Coloſ. III. Qui injuriam facit, recipiat quod inique

geſſit. *Hactenus ille*. Quæ nos probamus eo ſenſu, quo ipſe Apoſtolus ad Coloſſenſes cap. tertio, verſu ultimo, ubi docet omnem illum, qui injuriam cujuscunque generis, minimo quoque intulerit, male mulctatum iri à ſupremo Domino Deo, pro gravitate delicti ſui.

Caput XV.

Inquiritur, an ciconia uſum clyſterum mortalibus oſtenderit.

Ut finiam, quæritur poſtremo: num Ciconia uſum enematum, ſive clyſterum hominibus primò monſtraverit? Sic multi quidem perhibent. Sed falluntur: quod ciconiæ tribuitur, avi Ægyptiæ, cui nomen Ibis, vindicari debet. Signanter Plinius lib. 8. Nat. Hiſt. cap. 27. *Simile quiddam & volucris in Ægypto monſtravit, quæ vocatur Ibis: roſtri aduncitate per eam partem*

Digitized by Google

partem ſe perluens, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt. Eadem habet Cic. lib. 2. de N. Deor. & Solin. cap. 41. Polyhiſt. item Plut. de Solert. Anim. Quanquam vero lineamenta ibidis haut procul recedunt ab iis, quæ ciconiæ competunt, ipſa tamen non eſt ex genere ciconino, uti vel unus Horus Apollo teſtis eſſe poteſt, qui ut diſtinguit ciconiam ab ibide nominibus ſemper, ita ratione diverſarum ſignificationum hieroglyphicarum, quarum meminit, naturas quoque uniuſque avis diſtinctas eſſe abunde oſtendit. Adhoc nunquam obſervatum fuit ciconiam roſtro alvum ſuam irritaſſe. Quod de Ibi dixi, ſuo quoque ſuffragio comprobat Proſper Alpinus, ſubinitium libri primi de Medicina Ægyptiorum ita loquens: *Bruta etiam multa animalia reperiuntur, quibus ars inſita curandi morbos aliquos exiſtimetur. quemadmodum de Hippopotamo equo*

marino in Nilo flumine degente apud quoſdam legimus. Hunc enim equum in quadam medendi parte etiam magiſtrum eſſe aliqui affirmant. Aſſidua namque ipſe, ut ajunt, ingluvie & ſatietate obeſus, exit in littus, recentes indagaturus arundinum caſuras, atque ubi acutiſſimum earum ſtipitem cernit, id in corpus adigens, venam quandam ſibi in crure vulnerat, atque ita profluvio ſanguinis excitato morbidum alias corpus exonerat, mox plagam rurſus limo obducit. Quamobrem ſunt, qui arbitrantur, miſſionem ſanguinis ab hujuſmodi animali homines didiciſſe, veluti etiam à volucri quadam Ibi vocata, apud Nilum quoque naſcente, clyſteriorum uſum accepiſſe. Et tantum quidem hactenus de Ciconiis

Adden-

Addenda.

DUm lente procedit Tractatus hujus Editio, Authori interea, quædam in mentem venerunt, quæ, ad modum Mantiſæ, commode videntur ſubjici poſſe. Ergo ad Paginam *nonam*, lin. 4. ſequentia *notentur:* Niſi aliquis forte opinetur, aves, quæ vindices ſunt juſtitiæ, divinitus ea regione prohibitas fuiſſe, in qua tyrannis, nefandi regicidii ſecura, per tot millium, præter omnem ſuam culpam occiſorum excidium, tam diu dominata fuit, quam, juſtiſſimo Dei judicio, ſemetipſam everteret; legitimo Rege, per Regem Regum, poſt experimenta tot periculorum & caſuum, impoſito Throno, quo ante duodecim annos Divum patrem, Carolum I. malevolentia deturbaverat, ſacratiſſimo illius capite ſe-

curi ſubjecto. Alias Angliam non videtur adire noſtra avis, quod in ea minus pabuli, ſibi debiti offendat.

Pag. 33. lin. 15, poſt hæc verba, *non item Auſtro*, hæc *addantur*: v. Hoc, ut ſingulare quoque in volatu ciconiæ notare licet, quod volatum ſuum non modo cauda, ſed ſubinde pedum quoque remigio moderetur. Quum enim aves caudam acceperint, ut, inter volandum per liquidũ aëra idem officium præſtet, quod clavus navi ſolet, quæ hujus ſubſidio per mare curſu recto fertur; atque ciconia breviori cauda gaudeat, quò volatum ſuum in rectum emetiri queat, pedes quos alias ventri inter volandum applicat, ad caudam protendit, ut una cum illa commodioris clavi vicem exhibeat. Cauda cum omnia ferme inſecta, quæ volare notantur, deſtituantur, ſolent pariter obliquo volatu ferri, prout ab aliis jam obſervatum fuit.

Pag.

Pag. 37. lin. 3. poſt verba, *non ſolet*, pro ulteriori explicatione, hæc *obſerventur*: Quæ hic dico, ſano ſenſu intelligi velim. Arguo duntaxat Metamorphoſin illam, quæ putatur intercedere inter ſpecies perfectiores, homine ipſo, ut eidem obnoxio, ſuppoſito; occaſione cujus Poëtis ampla fabulandi oblata fuit occaſio. Cætero quin datur naturalis quædam, & quidem ordinaria Metamorphoſis inter vegetalia, ſimulque inſecta, per quam ut plurima Naturæ arcana explicari poſſunt; ita nos aliquando, modo Deo placuerit, cogitamus de eadem commentationes noſtras libere publici juris facere.

Pag. 46. ultimis verbis capitis Noni, ſequens amplius obſervatio *ſocietur*: Ex variorum amplius obſervationibus mihi conſtat, pullos ciconinos (& forte ipſas ciconias) obnoxios eſſe vomitui. Amicus quis cum pullo, è nido ſive deciduo, ſive

ſive deturbato, ranas & piſciculos obtuliſſet, per vomitum egeſtos fuiſſe, aliquoties obſervavit. Quod & notatum fuit in iis ciconiis, quas piſcaria in Belgio fora ſuſtentabant. Quod imputarim non modo ingluviei, atque inteſtinorum rectitudini; verum etiam indiſpoſitioni ipſius ventriculi, qui nondum aſſuevit, piſciculos ſquamatos, atque rubetas, maſticatione haut quaquam comminutas, digerere. Quare & canes ſæpe vomere deprehenduntur, itemque feles, quando carnes crudas, animalium inteſtina, atque ſimilia, æquo avidius deglutierunt. Quomodo & Scriptura canis ἐξέραμα notat 2. Petr. 2. 22. quam vocem occaſione quoque canis LXX. Interpretes habent Prov. 26. 11. Ob has cauſſas, inter aves, vomitus admodum quoque familiaris eſt ardeæ, unde Belgæ noſtri familiari quoque Proverbio dicere ſolent: *Hyſpouwet als een Reyger.*

Pag.

Digitized by Google

Pag. 64. ultimis verbis capitis undecim, non inconvenienter ſequentia licebit *annectere*: Pietatem hanc ciconiæ in ſuis quoque nummis Divus Adrianus Imperator commendare voluit, cirumferuntur ſiquidem varii illius nummi, qui hanc avem noſtram exhibent cum hac inſcriptione: PIETAS AVGVSTA. Præiverat Q. Metellus Pius, ciconiam juxta fœminæ faciem, ab una quidem parte ſimplicem, ab altera vero nummi parte geminam exhibendo, cum hac Inſcriptione: PIETAS COS. ut hac ipſa ave oſtenderet, *Pietatis* eam eſſe imaginem & hæc hactenus quoque. Nec amplius occurrit, quod author te moneat.

LECTOR,

Quam vulgatum illud, ſcil. tum per abſentiam ejuſdem, tum per operarum oſcitantiam, irrepſiſſe.

ERRATA,

Cæterum leviora, quæ, ſi omnia forte

ſorte hic non ſuerint annotata, à te locupletari poterit ſubſeque...

SYLLABUS.

Pag. 3. l. 9. *Ægyptiis*. p. 19. l. 2. *ranas*. ibid. l. 12. *hoc*. p. 26. l. 10. *Publio*. pag. 27. l. 3. *Græci talibus* p. 43. l. 21. *fovent*. p. 52. l. 22. *avis grandæva*. p. 53. l. 2. *chorus*. ib. l. 9. *Interim*. ib. l. 18. *tunicis*. ib. l. 22. *unis ciconiis*. ib, l. 23. *paria*. p. 55. l. 12. *eleganter*. p. 59. l. 5. *judicii*. ib. l. 6. *proceſſus*. p. 60. l. 8. *affectus illos*. ib. 24. *conſervata*. pag. 65. l. 15. *quod tamen* p. 66. l. 20. *cæterum deplumato*. Ib. l. 22. *conficere*, & mox *ſingulare*: & l. 24. *ex ſanguine recenti*. p. 70. l. 7, *è ciconiis*. p. 72. l. 14. *relaxatione*.

Syllab.

Syllabus Capitum.

Cap. I. Occaſio ſcripti: de nominibus, quæ Ciconia fert, tum apud Latinos, Græcos, & Ebræos.

Cap. II. De locis, quæ adit Ciconia, & de tempore, quo ad nos accedere ſolet.

Cap. III. Ciconiæ certo quoque tempore diſcedunt: dubium tamen quo. Variorum ſententiæ expenduntur, propriaque authoris conjectura proponitur.

Cap. IV. Methodi ductus notantur: ite[illegible] agitur de lineamen[illegible] Ciconini. De ſon[illegible] Ciconia, mo[illegible]rmat.

C[illegible] genere ſpe[illegible] Ciconiæ.

[illegible]uſdem.

[illegible]oniæ tranſ[illegible]tum fabuloſa.

Cap.

Cap. VII. De victu Ciconiarum.
Cap. VIII. De partu Cic[illegible]arum, & quomodo hæ pullos ſuos enutriant. Item ubi nidulentur, & quali modo nidos ſuos extruant.
Cap. IX. De moribus Ciconinis, analogice ſic dictis. Speciatim de caſtitate.
Cap. X. De inſigni amore, quo Ciconia tum pull[illegible] pa- rentes ſuos proſequit[illegible].
Cap. XI. A gratitudine quoque commendari merentur Ciconiæ. Inter illas judicii quoque proceſſus obſervari videtur.
Cap. XII. De m[illegible]is & diæteti- cis Ciconi[illegible]
Cap. XIII. D[illegible] Ciconiis capi ſ[illegible]
Cap. XIV. [illegible] no- logi, C[illegible]
Cap. XV. I[illegible] uſum oſtende[illegible]